



# **Missae ac Missalis anatomia. : Hoc est, Dilucida ac familiaris ad minutissimas usque particulas Missæ ac Missalis enucleatio.**

<https://hdl.handle.net/1874/422181>

7 3  
MISSÆ  
AC MISSALIS  
ANATOMIA.

*Hoc est,*

Dilucida ac familiaris ad minutissimas usque particulas Missæ ac Missalis enucleatio. Nunc primum, (ut eares purioris fidei cultoribus scientia necessaria, ad alias quoq; nationes deueniret) è Gallica lingua Latine uersa, Anno Domini M. D. LXI.

*Ad Hebræos cap. x.*

CHRISTVS unam pro peccatis offerit hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei,

181 A.D. 2190

ANASTASIA.

2191

181 A.D. 2191  
ANASTASIA.

J.M.A. 21. 15

2192

181 A.D. 2192  
ANASTASIA.

15

IN ANATOMIAM  
MISSAE AC MISSALIS  
præfatio.



Ocemur experientia, crassos  
ac rudiores natura homines  
ingenio (quicquid illis dixe-  
ris proposueris ue) adeò he-  
betes esse, ut nisi rem oculis  
corum, quò palpari quodam  
modo poscit, subieceris, non  
ita facile persuaderi possint. Nec quisquam est, qui  
eius assiduo cumentu sibi ipsi testis esse nequeat, adeò  
ut id demum certum esse & tutò credi posse quisq;  
arbitretur, quod sensibus expositum apprehendit.  
Ac quidem præ ceteris, qui medicinam ac chirur-  
giam exercent, eius uel soli testes esse poterunt: illo  
rum etenim indisciplina, ea parte, quæ aperta de-  
monstratione addiscitur, quæq; sine oculari ostен-  
sione percipi nequit (anatomia nempe, siue corpo-  
ris humani sectione, qua quidem singulæ humani  
corporis partes minutatim examinatae facillimè  
dignoscuntur) nil certius esse existimant. Quod ue-  
rò ad alia sensibus nostris non subiecta attinet, uix  
unquam de ijs tam certò persuasus esse quisquam  
poterit, quin semper aliquid scrupuli animo (qui  
pro sua uanitate hic atq; illuc facile flectitur) inhæ-  
reat. Hinc illi, quos iam attigimus, se totius humani  
corporis cognitionem habere, firmiter statuere pos-

sunt: diligenter etenim per anatomia singulas minnasq; sectioni expositi corporis particulas excutunt, cuiuslibet partis natura, substantiam ac proprietatem peculiariter considerant: qualitatem, quantitatem, formam, situm, omnium deniq; corporis partium usum perquirunt: quo sit, ut non iniuria, nil in sua arte scitu magis necessarium anatomia, esse sibi persuasum habeant. Etenim in ea rest quid neglexeris, euueniet sepe, ut scisso neruo, uel musculo aut etiam laesa arteria eius, cuius suscep-  
ris curam, membra sensum uel motum uel utrumq; interire sit necesse. Quid autem huius ignari detri-  
menti mortalibus attulerint, afferantq; indies, me-  
morare longum esset. Quoniam igitur Anatomiae  
cognitio non solum medicis, chirurgisq; uerum e-  
tiam alijs summoperé commendatur: eam ob cau-  
sam, Anthonium ab Ædam Italum imitatus, hanc  
Missæ ac missalis Anatomiam Gallicè, ut ab omni-  
bus percipi posset facilius, in lucem edere statui.

Sed priusquam ulterius progrediar, quo facili-  
or intellectus, ac quasi uia quædam ad omnia, que  
mihi inferius dicenda ueniunt, sternatur, non abs re-  
me facturum existimauit, si pauca à principio de hac  
nostra missæ ac missalis Anatomia percurrerem.  
Principe igitur loco quædā de missæ natura eiusq;  
vocabuli origine ac significatione tractabo, ac po-  
stremò de Missalis enucleatione aliqua breuibus at-  
tingam. Que si prius lectoribus breuiter ob oculo  
posuero, quid in utriusq; anatomia deinceps tracta-  
turus sum, facilius intelligent. Subiectum enim, hoc  
est cor-

5

est corpus, seu potius cadauer sectioni expositum,  
tum etiam singulas eius partes sine ulla hæsitatione  
agnoscunt. Quod ad missam attinet: unde sibi  
id traxerit nominis, incertum est: sunt tamen qui di-  
cere ausint, id uocabuli ab oblationibus in cœna an-  
tiquitus fieri solitis (ab eo forte, quod mitterentur,  
missa dictis) originem sumpsisse: ut ut tamen est, si  
quando eius uocabuli ueteres meminerunt, tum eo  
utuntur plurali numero ac in neutro genere. Sed  
quanquam id uerum esset, nonne id nominis à pristi-  
na significatione, ut huic infernali impietati (quaे  
quidem nihil aliud est, quam humana superstitione,  
imò potius in Sathanæ fabricata officina impostu-  
ra) inseruiret, miserè detortum uidemus? Verum  
ad rem ipsam accedentes, scitu necessarium existi-  
maui, de re per uocabulum Missa significata, ali-  
quid hic breuibus dicere. Missa igitur est actus siue  
gesticulandi modus, à Sathana quidem, suisq; satel-  
litibus adiuuentus, ac tandem mundo traditus: quo  
quidem decipiendi genere, eo tendunt, ut sacrosan-  
ctam Domini cœnam, non solum obscurent ac per-  
vertant, sed funditus aboleant, ac ex hominum me-  
moria extirpent, idq; loco sacrificij corporis et  
sanguinis Christi in remissionem peccatorum ob-  
lati substituant. Velsi alio pacto bestiæ istius descri-  
ptionem uelis, Opus est operatum, non solum sacri-  
ficulo ac adstantibus uiuis, sed etiam demortuis  
absentibus meritorium. Atq; his breuibus, quid sit  
Missa, quasq; habeat proprietates, pro hoc nostro  
instituto, ad alia de hoc Babylonico scerto nobis in-

hac prefatione dicenda, intelligere potes. Quo-  
 niam uero hec, nisi aliud repetatur, quibusdam ob-  
 scura, ac creditu quodammodo impossibilia uideri  
 possent. Notandum est in primis, fraudulentiis suis  
 admuentibus Sathan semper uelut offusis te-  
 nebris, sacrosanctam Domini coenam obscurare ac  
 inquinare conatum esse: eo procul dubio tendens,  
 ne ritus in ea ab institutore Christo, nobis relatus,  
 obseruaretur in ecclesia. Quibusda enim ac paucis  
 ijsdemque praescriptis in anno diebus ut sumeretur  
 primum instituit: tandem uero dimidiata partem  
 maiori Christianorum numero, furto abstulit, ac ui-  
 rapuit, illisque communicationem calicis (de quo ex  
 presse, ut biberemus omnes, hanc imposturam pre-  
 uidens Christus auerat) fraudulenter ademit: Sed  
 totius abominationis caput missa est: qua penitus  
 huius sacrosancti sacrameti usus Christians ademp-  
 tus est, qua denique pestifera impostura, hominum  
 mentes impietate plus quam execribili obcecauit  
 Antichristus, uidelicet eam pro sacrificio ac obla-  
 tione ad remissionem peccatorum impetrandam,  
 mortalibus, loco ueri huius sacramenti obtrudens.

Nec quenquam ex regeneratis in Christo Dei  
 filiis esse existimo, qui facile, quam altas hec pestis  
 inter Christianos radices egerit, (non solum enim  
 uulgas iners eo fascinatus est, sed etiam torius ferre  
 orbis Christiani magnates hac impostura decepti  
 fuere) non intelligat. Nec mirum quidem, sub ueri  
 naque specie, abominationes dudum missa palliauit,  
 ac technas suas Christi nomine adeo callide texit,  
 ut plerique

ut pleriq; sub hoc missæ nomine, fidem ac omnia ad  
salutem pertinentia, compræhendi existimarent.  
Quod si breuibus non aliunde, quam ex sacris lite-  
ris, quid hoc missæ horrendum monstrum ac pro-  
stitutæ meretricis instar fucatum, Christo detrahatur  
illum etenim summis adficit conuitijs ac blasphem-  
ijs, crucem eius opprimit, passionem ac mortem  
illius oblitterat, eiusq; fructum nobis adimit, ac tan-  
dem cœnam Domini, sub qua passionis eius memo-  
ria fidelibus relictæ est, penitus tollit) ostendero,  
quid quæso huic bestiæ amplius uiriū erit reliqui,  
quod non illicò gladio ancipiti, hoc est, uerbo Dei  
protinus conficiatur? An ne ita unquam amplius  
legi poterit, quin omnibus patefiat & conspicua  
reddatur, ueritatis lumine? Affero igitur in missa  
atrocissimis conuitijs ac intolerabilibus blasphem-  
ijs Christum affici. Constitutus est enim summus  
a Deo patre sacerdos ac pontifex: non sane ad illo-  
rum, qui in ueteri testamento, ad tempus ordina-  
buntur, imitationem: quorum sacerdotium, cum  
mortales essent non nisi transitorium, ac pontifica-  
tus tempori obnoxius esse poterat. Vnde, ut sibi  
iuicem succederent, alijq; illorum, qui morte ab-  
repti essent, loco subrogarentur, opus erat uerum  
immortali ac sempiterno pontifici Christo uica-  
rium, substituere non est necesse. Constitutus est igitur  
Christus sacerdos in æternum secundum ordi-  
nem Melchisedech, qui postquam in scriptura sa-  
cerdos Dei uiuentis fuisse dicitur factus, nulla fit  
amplius quasi in perpetuum uiuat, illius mentio.

En. 6.  
Heb. 1. 4.

Heb. 5. 6. 7. 10

Gen. 14.

Christus igitur secundum huius æterni sacerdotis  
 ordinem sacerdos dicitur. Verum enim uero, qui die  
 bus singulis sacrificant, oblationibus suis offeren-  
 dis, subrogatos, ac tanquam uicarios ac successores  
 habere illis necesse est. Quo sit ut tales non solum  
 Christi honori detrahant, æterniq; sacerdotij pre-  
 rogatiua illum spolient, uerum etiam Gigantum  
 more illum è dextra patris dei cære conetur, in qua  
 quidem sedere immortalis non potest, quin simut  
 æternus sacerdos maneat. Solus igitur ac æternus  
 est sacerdos Christus, collega aut uicario opus non  
 habens. Cum enim immortalis sit, nec ut sacerdotes  
 ueteris testameti, morte abripiatur, successore non  
 indiget. Dixit tandem Missam, Saluatoris ac æ-  
 terni sacerdotis nostri Christi crucem ac passionem  
 opprimere. Nam si seipsum semel in cruce obtulit,  
 quo nos sanctificaret in perpetuum, nobisq; redemp-  
 tionem acquireret æternam, quis igitur huius tam  
 eminentis sacrificij, efficaciam in æternum durare  
 dubitet? alioquin nihil præclarius de Christo sen-  
 tiremus, quam de bobus ac uitulis sub lege immola-  
 tis, quorum holocausta ideo imbecilla ac ineffica-  
 cia esse arguuntur, quod saepius iterabantur: faten-  
 dum ergo sacrificium Christi in cruce oblatum,  
 aut æternae sanctificationis uim (quod horrendum  
 est dictu) non habere, aut uno semel sacrificio Chri-  
 stum in omnia secula defunctum esse. Atq; id est  
 quod Apostolus testatur, summu nempe pontificem  
 Christum semel per immolationem sui, apparuisse  
 sub consumationem seculi, ad abolendum peccatum,  
 & iterum

9

¶ iterum uoluntate Dei (inquit) sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel. Item una oblatione consumauit in sempiternum sanctificatos: &c. tandem uero notatu dignis, subnec-  
dit sententia. Vbi autem (inquit) horum remissio, iam non est oblatio amplius pro peccatis. haec au-  
tem omnia Christus spiritum patri in cruce reddere  
uolens, nouissimis suis uerbis abunde testatus est,  
dum inquit, omnia consumata esse: quibus sane uer-  
bis ostendit aperte, quicquid ad generis humani sa-  
lutem desiderabatur, suo solo pro nobis in cruce  
facto sacrificio, perfectum, adimpletum ac consu-  
matum esse. Qui igitur innumerabilia alia huic  
sacrificia adiiciunt in dies, nonne Christi sacrifici-  
um tanquam imperfectum criminantur? Quando-  
quidem sacro sanctum Dei uerbum, hoc Christi sa-  
crificium semel quidem perfectum, uirtuteq; ac effi-  
cacia eternum esse non solum affirmat, sed etiam  
protestatur ac clamat ubiq; nonne alia aliunde ac-  
cerentes, Christum infirmitatis ac imperfectionis  
arguant, sacrasq; literas mendacij impudenter in-  
simulant? At missa, que eum in finem instituta est,  
ut in singulos dies millies, imò centies millies pro  
peccatis sacrificetur, quò spectat, quā ut saluatoris  
nostrī mors & passio sepulta, submersaq; relinqua-  
tur? Quis iam nisi cæcus, non perspectum habeat,  
id satanae audaciam fuisse, quæ tam impudenter uer-  
bo Dei se opponere, ac reluctari ueritati, non eru-  
bescit? Sed quibus præstigijs hanc suam fraudē præ-  
texere soleat pater ille mendacij, dum obtendit non

Hebr. 10.

uariam esse, nec diuersa sacrificia, sed unum idem,  
 sepius repetitum, & cetera, non me latet: sed hoc  
 in præsentiarum, in medium adducere non est no-  
 stri instituti. In huius enim anatomiae partem quar-  
 tam, ubi Missæ abusus, sacrilegia, imposturæ, abo-  
 minationes, incantationes, ac reliqua eiusmodi illi  
 propria tractabuntur, hæc reiecamus. Tertium  
 Missæ officium superius propositum fuit, hac nem-  
 pe mortem ac passionē Christi obliterari, ac ex bo-  
 minum memoria tolli. Nam ut inter homines testa-  
 menti cōfirmatio à morte testatoris dependet, eum  
 etiam in modum saluator noster Iesus Christus, te-  
 stamentum, quo quidem ex gratia nobis peccatorū  
 remissionem, iustitiam æternam ac cœlestem hære-  
 ditatem condonat, sua morte confirmauit. Qui igi-  
 tur in hoc testamento uariare quicquam, aut inno-  
 uare audent, hi sane uel testamentum falsitatis accu-  
 sant, uel testatoris mortem sibi prodeesse posse ne-  
 gant. Quid uero Missa aliud est, nisi nouum ac à  
 Christi diuersum prorsus testamento? An non sin-  
 gula Missæ nouam peccatorum remissionem pol-  
 licentur, adeò ut tot sint testamenta, quot missæ? Ve-  
 niat igitur rursus Christus, ac altera morte nouum  
 hoc testamētum confirmet, uel potius infinitis mor-  
 tibus innumerā missarum testamenta rata faciat.  
 Nonne iam quod diximus, missarum imposturis  
 Christi passionē ac mortem extinctam esse, uerum  
 apparet? præterea nonne eo tendit præcipue missa,  
 ut si fieri possit, Christus in singulos dies centies mil-  
 lies crucifigatur, occidatur, immoletur? Vbi enim  
 (inquit

(inquit Apostolus) testamentum est, mortem quoq; Heb. 9.  
 illic testatoris intercedere necesse est: at missa, no-  
 rum Iesu Christi testamentum prætendit, eius ergo  
 mortem postulat. Atq; ne mea hæc esse existimes,  
 Apostoli est argumentum: Si necesse (inquit) habuiss-  
 et offerre sæpius semetipsum, tum oportuisset il-  
 lum sæpius pati ab origine mundi. Quartum ue-  
 ro Missæ munus est, quod fructum passionis ac mor-  
 tis Domini nobis præripere conetur, dum ne illum  
 agnosceremus ac de eo cogitaremus, effecit. Quis  
 enim se morte Christi redemptum esse cogitet, qui  
 in missa redemptionem nouā intuetur? Quis pecca-  
 ta sua sibi in Christo remissa esse credet, alteram  
 in missa remissionem contemplatus? At uero qui  
 hæc palliare conantur Papicole, garriunt uel po-  
 tius Christum derident, inquietes se in missa re-  
 missionem peccatorum non aliter obtinere, quam  
 quod prius morte Christi acquisita sit: quod qui-  
 dem nil aliud est dicere, quam se redemptos esse  
 quidem, ea conditione, ut demum seipso redimiat.  
 Hæc uero doctrina uiolenter per Sathanam mini-  
 stros sparsa est, quam adhuc clamoribus, igne, fer-  
 roq; mordicis tuetur ac defendut, quum (inquiunt)  
 in missa Christum offerimus patri, hoc oblationis  
 opere remissionem peccatorum consequimur, ac  
 tandem passionis eius efficimur participes. Quæso  
 quid iam passioni Iesu Christi superest, quam ut sit  
 exemplum redemptionis, quo quidem nos nobis  
 ipsis redemptores esse doceamur? Nunc locus  
 postulat, ut uideamus quo pacto Domini cœna, in

qua quidem passionis suæ memoriam insculptā for-  
 matamq; nobis reliquerat, per missam dissipata, sub-  
 lata, deperdita ac abolita sit. Scimus sacrosanctam  
 Domini cœnam, donum Dei esse, quod cum gratia-  
 rum actione percipi ac communicari debet: sed  
 quid hic in contrarium agitur? sacrificium missæ,  
 pretium Deo se numerare fingit, quod quidem ip-  
 se in satisfactionem accipiat: sed quantum interda-  
 re et accipere differentiæ inest, tantum à sacra-  
 mento cœna, missæ discrepat sacrificium. Cœna sa-  
 cramentum nos non semel tantum morte Christi ui-  
 tæ restitutos esse, sed nos assidue uiuificari, testatur.  
 At missæ sacrificium longè aliam cantilenam canit,  
 oportere nempe quotidie Christum illic sacrificari  
 ut aliquo pacto nobis prodesse queat. Cœna Domi-  
 ni in publico Ecclesiæ cœtu distribuēda est, ut com-  
 munionis, qua inter nos inuicem coniuncti sumus ca-  
 pite Christo, admoneremur: hāc uero cōmunionem  
 dissoluit ac distrahit missæ sacrificiū. Posteaquam  
 enim huic errori locus datus est, ut necessariū vide-  
 retur peculiaribus ritibus sacrificulos, qui proprie-  
 tatis populi offerrent (quasi uero cœna Domini ad  
 huiusmodi raflos unctosq; pamphagos peculiariter  
 pertineret) constituere, desiit tum iuxta mandatum  
 Domini cōmunicari, ac tandem priuatis missis adi-  
 tus patefactus est, ut pro cōmunicatione excommu-  
 nicationem introductam esse uideamus. Hæc sunt  
 quæ mihi in genere de hoc tam horrendo ac mon-  
 stroso corpore, prius quam ad species descendere-  
 tur, dictu necessaria uisa fuere. Nunc reliquum est,

ut quandoquidem huius bestiae naturam proprietas  
temq; uidimus vel uno uerbo de Missali aliquid dicamus. Missale igitur nil aliud est, quam cloaca,  
seu locus factitus ac infectus, ubi tandem missa quo  
ab ijs qui ea uti uellent, facilius reperiatur, reposi-  
ta ac reserata est. Vel si mauis, Missale nihil differt  
a lupanari, quem in locum scorta, posteaquam totas  
urbes se prostituendo peruagarint, tandem sese re-  
cipiunt, locumq; sua infamia dedecorant ac foetore  
inficiunt. Nulli alij enim rei missa accommodatius,  
quam omni spurcitia ac scabie infectae ac inquina-  
te meretrici comparatur: etenim nonne Helenam  
superat missa, cuius de causa diuini uerbi perse-  
cutores tanta crudelitate, furore ac rabie, in uerita-  
tis Euangelicæ cultores inuehuntur, inq; illos igne  
ferroq; grassantur indies: hoc sane scortum Hele-  
na plus ceteris millies detestabilius est: alioquin quo  
pacto fieri potuisset, ut ab ea non solum deciperent  
uulgas, sed etiam principes, magnates, reges ac im-  
peratores, eius uenenis non solum inebriarentur  
ac incantarentur, sed etiam ad insaniam usq; redi-  
gerentur? Deniq; eosq; cæci ex uerordes essent,  
ut hoc ueneno sed aureo poculo (hoc est diuini uer-  
bi nomine) illis propinato, munus iudicij animanti-  
bus brutis illis fuerit, adeo ut suæ salutis princi-  
pium finemq; in hac execrabil abominatione po-  
nerent? Missale igitur (ut suprà diximus) nil al-  
liud est, quam sentina siue fordium receptaculum,  
quo tenones uti solent, dum missam prostituere, uel  
etiam cum illa fornicari cupiunt. Sed quando-  
quidem,

quidem, ea, quæ hactenus cum de missa, tum etiam  
 missali attigimus, multo dilucidius ex partium ana-  
 tomia intelligi ac percipi poterūt, hoc loco, in eorū  
 explicatione ulterius non progrediar: per transen-  
 nam quasi intellexisse sufficiat, Missam à capite ad  
 calcem omnis generis impietatibus, blasphemis, ido-  
 lolatrijs, sacrilegijs ac imposturis refertā esse. Nec  
 enim dubito quin intelligi ea quam utriusq; propo-  
 suimus descriptione, lectoribus via patefacta sit,  
 qua facilius ad istius tam impuri cadaueris (quod  
 foetore suo non solum terram & aera, corporaq; il-  
 lic agentia corrumpere, sed etiam animas ad infer-  
 num usq; secum detrahere posset) anatomie cogni-  
 tionem perueniant. Iam uos quotquot huic ana-  
 tomia præsentes adfueritis omnes rogatos uolo, ne  
 hinc licet putrido cadaueri terga abuertatis, ne ue-  
 uitande fortassis aeris ex eius foetore contagiose  
 corruptionis gratia, naribus manus apponatis: sed  
 potius per pensis omnibus exactissimè statuere ueli-  
 tis, iuuante Christo, uos aduersus eam quantacunq;  
 fuerit, ueneni uim, antidotum ac pharmaca ita fra-  
 grantia reperturos, ut contagionem aeris ex tam  
 infami & putrido cadauere infecti, incolumes euad-  
 ere possitis: hoc etenim monstrum horredum per  
 omnes partes adeò accurate dissecabitur, ut ex ho-  
 minum memoria breui sublatum iri speremus: inter-  
 ea uero uerbo suo Christus uobis, ne forte putredi-  
 nis foetore ab hac anatomia absterreamini, odor e-  
 rit suavitatis. Ad rem ipsam igitur ac praxis de-  
 clarationem accedentes, primum necessarium erit,  
 natura-

naturalis corporis (quāquam hoc cadauer naturæ omnino aduersetur) similitudinem ac proportionē obseruare. Notum est omnibus his qui in academijs publicè anatomiā profitetur, in primis, ut habeat corpus humanum mortuum (uiuum etenim ita minutatim dissecare, præterquam quod impossibile, inhumanum certè ac crudele esset) necessariū esse. quo inuenio, locus satis emens, ex quo ab omnibus spectari posse anatomia eligendus est, præterea nouacula, forceps, aliaq; ad eam rem requisita instrumenta, quibus quām exactissimē secundū minimas etiam particulas corpus dissecetur, ac inde cuiusq; natura, officium, ususq; ad oculum facilius ostendi posse, in promptu habenda sunt. Ad pri mun quod attinet, sciendum est hoc detestandū ac abominabile cadauer, potenti uerbo Dei subiugatum ac gladio ancipiti occisum ac necatum esse, a deo quod ubi cunq; locorum uerbi Dei ac Euangelij doctrina prædicata fuerit, hoc monstrū (quām supra quām dici potest, horrendum) sine ul la mora illico locum cedere ac perire necesse sit. Quamuis igitur multis alijs quām quæ iam deducta sunt, argumentis id ostendi posset, satis tamen erunt hæc ad intelligendum, hydram hanc nil uigoris, potentie ac uirtutis habere, quibus omnibus (sicuti hactenus exitiali hoste suo Euangeliō nempe Salvatoris nostri Iesu Christi nondum renato) tanquam fulminibus homines terrere deinceps pos sit. Quapropter corpus bestiæ huius mortuum esse eo quo dixi modo, nemo est qui dubitare debeat.

Mihi

Mibi igitur in hoc priori ad rem propositam declarandam articulo diutius immorandum non est.

Secundum quod in anatomia nostra requiri dicebamus, locus fuit, ac sane nisi me animus fallit, nullus quam totus terrarum orbis locus ad hanc rem commodior unquam reperiri poterit, quo omnibus eius incolis hoc monstrum patefiet. Quandoquidem enim execratio haec per totum ferè terrarum orbem dominium sibi uendicauit, ac in tot populos tantasq; nationes uirulētum aconitum suum tam longo tempore sparsit, non iniuria profecto in propatulo exponenda eius abominatio mihi uideretur, ut ab omnibus oculos quidem operientibus, ac scienter pro luce tenebras amplecti nolentibus, agnosci posset. Præ omnium enim oculis Missæ aduersus Deum omnipotentem impietas execrabilis ponentur, in saluatorem nostrum Iesum Christum conuicia illius detegentur, ac tandem feces corruptiæ minimæ etiam Crocodili huius particule (quo huius pestis uirus etiam hominum simplicissimi quique ac planè rudes intelligent) odores diligentissimè demonstrabuntur. Nam sicuti in toto humano corpore nil est uel ad ungues usq; ad capillos, quod usu careat, quodq; aliqua in re nobis commodo esse non posset, ita in hoc infernali missæ cadauere, ne uerbum quidem est, quod non in Dei derisionem ac scomma aut etiā illius despectum non cadat, inq; abnegationem Christi excogitatum non sit. Quod ad instrumenta ad hanc perficiendam

Anatomiam

Anatomiam necessaria attinet, superius dixi, sacro  
 sanctum Dei uerbum id omne tam exacte præstitu-  
 rum, ut alijs hic instrumētis siue ferramentis non  
 sit opus: omnibus enim omnium chirurgorum no-  
 uaculis acutius est, omnibus deniq; illorum instru-  
 mentis penetrabilius. Est etenim ipsissimus index la-  
 pis, quo quidem omnes aliae doctrinæ probari de-  
 bent: hac igitur in dissecandis huius cadaueris par-  
 tibus nouacula, his forcipibus ac instrumentis, (uer-  
 bo Dei inquam) relictis alijs, utemur. Sed quem  
 admodum, hi qui ad spectandas anatomias se con-  
 ferunt, ea in arte expertissimo medico, qui omnium  
 totius humani corporis particularum uim, natu-  
 ramq; demonstret, opus habent: ita etiam omnes  
 qui huic anatomiae interesse uoluerint, admonitos  
 uolo, se citra sancti spiritus operationem in ea nil  
 unquam profecturos. Sciant igitur huius anato-  
 miae supremum magistrum ac medicum, Saluato-  
 rem nostrum Iesum Christum futurum, qui quidem  
 sancto spiritu, huius monstri particulas omnes ad-  
 unguem demonstrabit omnibus. Erit igitur opera  
 precium spectatores attentos esse, totisq; uiribus  
 animos eò dirigere, ut quæcunq; ex ore tanti docto-  
 ris prouenient, diligenter attendant: etenim æqualis  
 esse illi nemo poterit, quandoquidem solus ac uni-  
 cus doctor ac magister uoce de cœlo ut illum audi-  
 remus emissa, constitutus est. Atq; haec inter omnes  
 doctores prærogativa auscultatione digna est, ni-  
 mirum ut tam excellentem audiamus doctorem, qui  
 quidem ipse ueritas est, quiq; nec mentiri, nec etiam

audientes decipere unquam potest. Ut autem nobis superius propositam similitudinem retineamus diligentius, quæ quidē inter corpus humanū hocq; cadauer magna ex parte obseruari potest, non abs re esse fore existimo si auditores cōmonefiant, hanc anatomiam in quatuor principales partes (tot enim in corporis humani anatomia partes statuit) diuisam iri. Prima, caput est. Secunda uenter, quenam superiorem uocant. Tertia uero uenter, qui inferior illis dicitur, ubi intestina collocata sunt, occupat. Quarta autem quod reliquum totius corporis est, comprehendit. Ad eum etiam modum terneæ huius hydræ cadauer in quatuor partes diuidemus. Prima ab Introibo usq; ad Canonem se extendit. Secunda à Canonis erit principio usq; ad finem, qui quidem ad secundum usq; Per omnia, progreditur. Tertia uero ab isto Per omnia, usq; ad finem missæ. Quarta tandem ex ultima, de istius scorti abusibus, impietatibus, abominationibus, fornicationibus, sacrilegijs, incantationibus, ueneficijs ac imposturis instituetur. Sic igitur de huius monstri partibus, ut res nunc postulabat, satis dictum. In hac autem dissectione, non omnimodæ humanæ anatomiae ordinem obseruabimus, quamvis enim corpus humanum, eo quo retulimus modo diuidere soleant, ab intestinis tamē (quod hæ partes putredini subiectæ magis existant) anatomiam incipiunt. Nos uero eo non attento ab Introibo, hoc est cadaueris capite inchoabimus, tum ad uentrem, hoc est Canonem progrediemur. Quanquam etenim Canon iste tantum spurius

ta spurcitia, tamq; infelis, virulentis ac contagiosis,  
 odoribus resertus sit, ut omnium cadaverum inter-  
 stinorum si in unum reponerentur locum, feces ac  
 foetorem supereret, adeo quod uitanda aeris inde cor-  
 ruptionis gratia, illico illinc incipi debere uideri  
 posset, tamē (sicuti progressus docebit) tot tamq;  
 uarijs panniculis, crucib, nempc, inuocationib, adiu-  
 rationib, exorcismis, signis, gestib, motib, inuersioni-  
 bus ac reuersionibus, sibilationibus, flatibus, bra-  
 chiorum extensionibus, elevationibus, somnijs, ac  
 alijs huius farinæ papisticis, imò Sathanicis adin-  
 ventis, inuolutus, tectus ac insutus est, ut non ita ci-  
 to illum putrefieri posse existimauerim, hoc autem  
 peracto tandem, ad quartam partem ordine pro-  
 grediemur. Nec hic prætereundum esse duxi, ha-  
 rum quamlibet partium in proprias suas subdivini-  
 di sectiones, sicuti processus docebit. hoc tamē pro-  
 instituti ratione sat erit, letores ad eorum quæ in  
 toto hoc opusculo tractabuntur, intellectum, hanc  
 divisionem memorie commendare: quo facto, non  
 dubito omnet quotquot Euangelico zelo moti hæc  
 diligenter legerint, à Christo peculiari dotatos in  
 gratia, ut inde tandem ad animarum suarum salu-  
 tem non parum fructus sint consecuturi. In hac  
 etiam Anatomiæ tractatione, libri de Ratione diui-  
 norum officiorum Durandi, saepius fiet mentio, qui  
 quidem liber, nil aliud, quam meras nugas, impia  
 sophismata ac aniles fabulas in se continet, atq; in  
 ea sum hæresi, ut id ad nostra usq; tempora, quo re-  
 gni Sathanæ & Antichristi Romani fundamentum

ac basis facilis agnosceretur, prouidentia diuina  
reseruatum esse existimem.

HÆC AVTEM HAB VI, que Pra-  
fationis loco, in Babylonice mereetricis, hoc est, mis-  
se ac missalis Anatomiam dicere, quæ si à uobis (can-  
didi Lectores) diligenter animaduersa fuerint, ea  
quæ inferius in Anatomie delineamentis tracta-  
buntur facilius intelligetis. Patrem interea totius  
consolationis ac misericordiae oratum uolo, quo uo-  
bis omnibus intellectus sapientiam in hac percipi-  
enda huius bestiæ anatomia concedat, ut tandem  
Roma in Antichristi regnum corruat, Christi  
uerò ac Salvatoris nostri ac Domini Iesu  
in Papæ ac Satanae despectum pro-  
pagatur in secula se-  
culorum.

Amen.

AN-

# ANATOMIÆ PARS I.

AB Introibo, VSQVE AD CANONEM Te igitur, SE EXTENDENS.

Quæ quidem in quatuor sectiones subdividitur.

## SECTIO PRIMA.

Istrionicis uestibus ornatus, ac omnibus ad hanc agendam comoediā, necessarijs instructus sacrificulus, murmurare incipit: Et introibo ad altare Dei. Is autē, qui illi ea in re administer est (spurius forte ipsius, vel alius quispiam astinus sacrificulus) respondeat. Ad deum qui lătificat iuuentutē meam, &c. hoc igitur tam facet& comedie præludium est, nempe quod falsitatem ac mendaciū plus quam impudens continet. Nec mirū, Missa etenim in officina (ut diximus) patris menda ci diaboli, per Romanū antichristum fabricata est. necessariū igitur fuit, fabrefactū, à fabri sui natura non degenerare. Notandum igitur in primis, hoc Introibo, ex Dauidis psalmo 43. raptum, ac hic insutum esse, quem quidem Psaltes à Saul regno pulsus composuit. Vbi pro liberatione à cōqueritorum tyrannide orans petit, ut tandem Domini tabernaculum ingredi sibi liceat, ac cum alijs fidelibus cantare laudes Domini. Id autem altare Psalmista uocat Altare Domini, quandoquidem seculi & totum tabernaculum (quod sane legis ceremonialis pars Exodissa fuit) Dei adificatum erat iussu. Nec Dauidem eo tempore Veritati consentanea, ac tunc temporis

ritibus consona dixisse dubium est. Verum ad hanc  
 nostram tempestatem omnia hæc referre, nonne  
 Similæ magis imitationem, quam ullam ueritatis  
 scintillam præse ferre dixeris? Qui hæc sancte fin-  
 gunt, Vmbram denuò (ceremonie enim, quas ra-  
 sus hic presbyter simulat. Vmbra futurorum tan-  
 tum erant) adumbrare uidentur. Quum igitur ce-  
 remonijs iudaicis nullus apud Christianos (per ad-  
 uentum enim Christi, qui quidem complemetum, ac  
 confirmatio legis est, sublatæ sunt) relictus sit locutus.  
 Concludamus ergo, nullum ex corruptibili materiæ  
 consecratum altare Christianis ad offerendum ere-  
 dum esse debere: Interea tamen, ueri altaris si-  
 gnificationem ueram habemus in Ecclesia, Chri-  
 stum nempe, qui corpus suum pro peccatis no-  
 stris in Sacrificium super altare crucis offerens, no-  
 bis redemptionem peperit æternam. Quod qui-  
 dem adeò perspicuum est, ut Euangelicis, ac Apo-  
 stolicis doceamur scriptis, Christum, secundum sui  
 sacerdotij ordinem. omnia per illa altaria in Veteri  
 Testamento adumbrata, in nobis perficere, est enim  
 uerum tam incensi quam holocausti ac spirituale al-  
 tare Domini. Certum est enim hæc duo altaria Chri-  
 sti figuram adumbrasse. Nam sicut Sacrificia, quòd si  
 bi grata essent, illic offerri mandauerat Dominus,  
 ita & nos preces nostras, bona item opera, si deo ac  
 cepta esse uolumus, illi per Mediatorem Christum  
 offerre debemus: Christus enim precationum men-  
 tionem faciens. Quodcumque, inquit. petieritis pa-  
 Ioan. 14. trem in nomine meo, hoc faciā, ut glorificetur pa-  
 Ioan. 15. ter in

ter in filio. Item, Amen dico uobis, si quid petieritis patrem, in nomine meo, dabit uobis, hactenus nil petiatis in nomine meo, petite et accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Paulus etiam: Quod cunque, inquit, facius, siue uerbo, siue opere: hoc sit in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo et patri per ipsum est. Et ad Hebreos, Per ipsum, inquit, offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum, confitentium nomen eius. Sed ut hic omnia, una sententia dicam, Nullum altare Dei, quam quod Dominus extrui mandauerit, Christianis esse debere firmiter assero, et concludo. At haec, de quo presbyter Andreas, in suo Introibo et c. balbutii, instituto, ac iussu Dei structum non est, Sequitur igitur necessario id altere Dei minime esse posse. Accedant igitur Missæ Doctores et Aduocati. Vnicunque in sacris literis mihi iota ostendant, quo post Christi passionem Christianis mandatum sit ad sacrificandum confic̄t̄ altaria, quod si fecerint, tu sine ulla mora liti cedā.

Quod ad alterum, quem ex eodem psalmo grunniunt idiotæ, uersiculum attinet, nempe Confitebor tibi in cithara. Deus meus, et c. Nescio sane, quod asinos eò mouerit, cū nec citharam, nec aliud instrumentum musicum, quibus David in laudem Domini uti consueuerat, penes se habeant, ut hunc uersiculum ad ornandam suam hanc comediam usurparint. Sed id nemini mirum uideri debet, id enim moris habet, ut, quomodo cunque possint, palliandis suis fantasticis opinionibus sacras

literas flectant, ac torqueant. Hoc pacto tandem  
 uenerandus Dominus Ioannes, rem aggreditur:  
**A**diutoriū, inquit, nostrum in nomine  
**D**omini, Tum Ganymedes: Qui fecit cœ-  
 lum & terram. iam quām miserē nomine Do-  
 mini abutatur Antichristus, siue Nero Romanus, ut  
 eō suam tegere possit imposturam, uel ex hoc pa-  
 tet, quōd nullam aliam ob causam nomen Domini  
 in adiutoriū se impiorare simulant sacrificuli, quām  
 ut omnia hæc portenta, diuinitus tradita esse, et à  
 Deo gubernari persuadeant, hominumq; mentibus  
 suas has nugas Deo gratas esse inculcent. Verū ne  
 id admiratione dignū esse existimes, rogo. Est enim  
 sathanæ suisq; mos consuetus homines ita deludere,  
Matth. 4.  
 ut proposito Verbo Dei facilius suis mendacijs, ac  
 technis uiam aperire queat. Postea, si Dijs pla-  
 cet, sequitur, **C**onfiteor Deo, &c. in quo nul-  
 lum de Saluatore nostro uerbum, adeò ut cùm illio  
 remissionis peccatorum fit mentio, ac si nullam am-  
 plius potestatē haberet, nec in cœlo, nec etiā in ter-  
 ra existeret, illius plane uenerabilis Dominus Par-  
 rochus, obliuiscatur. Quōd si istud **C**onfiteor,  
 Christianis usui esse debebat, postulabat sane ratio,  
 ut Christi in eo reminisceretur. Sed uideamus ro-  
 go, quid simia (sacrificulū intelligo) in hoc suo tam  
 egregio agat, cōfiteor. Confitetur in primis Deo  
 patri omnipotēti (hoc cōmune cū Iudeis, ac etiā  
 Turcis habet) tum uero Christi, ac etiā Spiritus satt  
 eti memoria sepulta, beatæ uirgini, diuo Petro. Pa-  
 lo (alijs addunt Michaële, alijs Dominicū, alijs Fran-  
 ciscum)

ciscum, alij Augustinū, quidā Benedictū, prout monasticæ sectæ diuersitas, uel excæcatorum hominū superstitione postulat) ac, ut summarim dicam, omnibus sanctis. At interea de Christo uero Dei filio, proq; nostris peccatis crucifixo, nullus est sermo. Hic, quisquis es, ingratitudinem hanc plus quam enormem considera. Quid enim ingratum magis esse existimes, quam si sanctis, qui pro nobis passi non sunt, multo minus nos redemerūt, peccata conficare. Saluatorem autem tuum, qui pro tuis ac omnium fidelium peccatis, sanguinem suum super altari crucis effudit, tē que per passionem, ac mortem suam à morte liberavit eterna, non solum post bubeas. Sed tanquam omnino non esset, eius nullam mentionem facias: o nephias, o scelius, o blasphemia, o denique tanti, tamq; inestimabilis beneficij accepti execranda obliuo.

Matth. 9.

Siccine miseri papicole, Sathan uestros oculos obfuscavit, uel potius, radicitus effodit: ut eo, qui remittendi potestatem habet relicto, uos aliò transstulerit. Vnde hæc horrenda cæcitas? Vnde (quæso) uobis hæc plusquam brutalis dementia. Sed hæc est præceptoris uestri satanæ innata calliditas, qua uos in hoc uestro scilicet egregio Confiteor, ut et in alijs abominabilis Missæ partibus decipere, ac ad se trahere solitus est. Quæro à uobis Cornuti, in cuius nomine hanc fieri existimatis pœnitentiam, ex qua quidem uocalem hanc confessionem initium sumere garritis? An in nomine sanctorum? an uero Christi? Nónne execrables creaturæ, proprio ore pronun-

eiāt Christus, pœnitentiam ac remissionem peccato-  
 rum in suo nomine fieri debere? Sed quid calceat &  
 ad hæc respondent bestiae? Num obmutescunt? Di-  
 cent fortasse in suo Confiteor Christi, ideo fieri  
 mentionem, quia dicunt, Confiteor Deo omnipoten-  
 ti, quod sit et ipse Deus. Vel forte sub sanctorum no-  
 mine comprehendendi, quandoquidem et ipse sit san-  
 cus. Sed hæc est subtilis ualde scilicet, ut ex scriptu-  
 rarum apicibus sumpta respōsio. Cur tandem rogo,  
 hic Christi Dei et hominis aequē ac aliorum, que  
 puræ creaturæ sunt, ad minus mentionem non agi-  
 tis? Cur plus honoris mortuis sanctis tribuitis, quā  
 Christo, qui quidē uiuus, uerus Deus, et homo est?  
 Christus etenim non solum Deus, sed et homo pari-  
 ter, ac ob id aduocatus noster est. Qui fit igitur, ut  
 illi non Confiteamini, illumq; solum mediatorem ac  
 intercessorē, nō autem mortuos sanctos imuocetis?  
 Tim. 2.  
 Heb. 7.  
 2. Ioan. 1.  
 Rom. 3.  
 Coloss. 2.  
 qui si sancti sunt, Dei gratia sunt. Cum natura pec-  
 catores fuerint, peculiarem memoriam agitis, cur  
 queso, non multo magis Christi filij Dei, sancti san-  
 ctorum, quiq; sanctificat alios, in quo etiam torius  
 diuinitatis plenitudo, corporaliter inhabitat, in co-  
 fessione peccatorum mentionem facitis? Ex quo hoc  
 uestrum Confiteor, multum idolatriæ, ac im-  
 pietatis in se habere, Christianismi ac pietatis nihil  
 penitus, nemo nō uidet. Absoluto hoc suo Con-  
 fiteor, uenerabilis dominus sacerdos ad suum Mi-  
 sereatur tui, indulgentiam et absolutionē, item  
 Deus

27

Deus tu conuersus, ac etiā ostende nobis misericordiā tuam, prorumpit. Quibus sanē omnibus nil aliud agit, quam quod torqueō, ac sūe abominabili missæ prætexendo Dei uerbum in Christum (cuius etiam hic non meminit) blasphemias eructet, ac euomat. Tum uero aliud suo Confiteor, alijsq; suprà expositis, Christiano scilicet dignum magis sequitur: inquit, Aufer a nobis quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mentibus mereamur introire, per Christum dominum nostrum amen. An non ad oculum patet, quid falsi, immo potius impietatis sub his, tam paucis uerbis latitet, quæ hic sacrificulus ita præcipitāter simiarum more dentibus terens balbutit? Quod si in hac oratione præter hæc duo, Sanctuarium, nempe ac meritum, nil esset aliud, facillimè proculdubio intelligeretur, Romani Antichristi scopum eò tendere, ut hoc suum altare Sanctum Sanctorum, siue sanctuarium Dei esse nobis falso persuadeat. Verum quid hoc præter mendacium, ac diabolica impostura aliud est: Sanctuarium enim secundum scripturam locuserat in tabernaculo, à reliqua templi parte uelo segregatus, quo nemini præter quam summo sacerdoti (qui quidem semel in anno solummodo illud ingrediebatur) dabatur accessus. Atque id cœlum, quod quidē Christus æterna redemptio inuenta, semel ingressus est, adumbrabat. Nec est quod se metaphorice per Sanctum sanctorum

Eorum, uitam eternam intelligere cauillentur,  
 cum enim in suis Missis per opera & sanctorum in  
 uocationem, peccatorum remissionem (ex qua qui-  
 dem uita sequitur æterna) petant, & suum aliare,  
 altare Dei esse falso mentiantur, non est. quod ab  
 Antichristi proposito, hanc sancti sanctorum men-  
 tionem hic factam, per metaphoram deflectere co-  
 nentur: ipsorum etenim **confiteor**, ut supra ex-  
 positum est, maximè contrarium esset. Quoniam  
 autem uero hoc altare, super quo sacrificulus suam  
 Missam decat, inò potius ea ipse incantatur, non  
 sanctuarium, sed merum hominum figmentum est,  
 falso sane in hac sua preicatione id Sanctuarium  
 uocant Missalis Doctores. Christus enim taberna-  
 culum materiale ac sanctuarium, sacrificia item Le-  
 uitica, ac cultus omnes ceremoniales aboleuit, in  
 cuius quidem rei signum passo ac mortuo in cruce  
 saluatore nostro (sicui testantur Euangeliæ, ue-  
 lum templi scissum est in duas partes, à summo us-  
 que ad infimum. Quo sane nil aliud significatum  
 est, quam externos ritus ac ceremonias legis per  
 Christum finem sortitas esse. Quum autem in hac  
 sua oratione presbyter Asinus (errauit, Andream  
 dicere uolens) meriti meminit, nonne inde Sathan  
 ac Antichristus falsam, inò impiam stabilire con-  
 tur opinionem, qua plerique mortalium fascinati  
 sunt, ut credant se proprijs suis uirtutibus, indu-  
 stria ac operibus Dei fauorem promereri posse?  
 Sed de hoc contagioso errore alias diffusius dice-  
 mus: hic pro instituto hanc egregiam, scilicet huic  
 nostri

Matth. 27.  
 Mar. 15.

nostris sacrificiis orationem exposuisse sufficiat.

Tum demum alia eiusdem famae precatio hunc sequitur, quam quidem uenerabilis ante suum se inclinatus altare proserit. Oramus te Domine inquit ut per merita sanctorū tuorum, quorum reliquiae hic sunt, & omnium sanctorū indulgere digneris omnia peccata nostra, &c. An non hic maiorem deæ mentiam, impietatem, blasphemiam ac mendacium longè impudentius, quam in præcedenti esse agnoscitur? principio nēpe precatur per meritū sancrorū, quorū reliquiae illic sepultæ iaceant, illic (in qua) in illo saxo, quod non solum altare Dei, sed etiam sanctum sanctorum prius uocauit, reconditæ sint. Sed quid inde, quæso, reuerenda illa bestia certi habere potest? Qui scit sanctorū reliquias illic esse repositas? Forte fortuna facinorosi alicuius, aut etiam equi, uel alterius cuiuspiam animalis demortui ossa illic occulta erunt. Quod si nullæ sint ibi sanctorum reliquiae, quid rogo cōmodi illis qui precantur adfert hæc tam lepida petitio, que Sanctorū meminit, quorū reliquiae non adsunt? Sed posito totius mundi sanctissimorum, qui unquam fuerint, hominū reliquias illic adesse, qualem impietatem, quale scelus, quale item sacrilegiū dixeris, hominum meritis peccatorum remissionē tribuere? Nullus sane inter mortales quantūvis probæ uitæ unquam exituit, quem gratuita peccatorum remissione propter Christum saluum fieri nō oportuerit, nullus item qui citra peccatum hixerit unquam: atq; eius saluator noster discipulos

3. Reg. 8.  
2. Para. 6.  
Psal. 142.  
Eccl. 18  
Mat. 6  
Luc 18  
1. Ioan. 3.

scipulos suos etiam admonitos esse uoluit, cùm pro  
 debitorum remissione, hoc est, peccatorum ut ora-  
 rent, illis præcepit, item si dixerimus peccatum non  
 esse in nobis, nos ipsos seducimus, & ueritas non est  
 in nobis. Quod igitur scelus est, id hominibus tri-  
 buere quod soli Christo peculiare est, ac proprium?  
 Sane ubiq; scriptura de remissione peccatorum  
 loquitur, nullius alterius quam Christi mentionem  
 facit. Ioannes baptista Iesum Christum ostendens in-  
 quirat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.  
 quasi diceret, is solus est, qui peccata auferat, non au-  
 tem aliud. Petrus item, Non est aliud nomen, inquit,  
 datum sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri. Si  
 igitur nullum aliud nomen est sub cœlo in quo sal-  
 ui sumus, quid quæso miseri creaturis, necnon de-  
 mortuis solum hominibus, sed & illorum fictis ossi-  
 bus tam impudenter id honoris tribuitis? Quid, ro-  
 go, salutis nomen, quam à peccatis liberationem, ac  
 illorum plenam remissionem importat aliud? Vnde  
 Mat. 1 angelus apud Matthæum, Ioseph de concepto iam,  
 sed nondum nato Christo alloquens: Ipse, inquit, sal-  
 uum faciet populum suum à peccatis eius. quasi per  
 emphasin diceret, ipse et non aliud, saluum faciet po-  
 pulum suum. Sed nonne (ut semel finiam) satis su-  
 perq; notum est, peccata nostra eius nomine in quo  
 baptisati sumus, nobis remissa esse? Quid enim bap-  
 tismus aliud, quā nobis in Christo promissam pecca-  
 torū remissionē denotat? Certo certius est, uel Apo-  
 stolo teste, nos in nomine Iesu Christi, non autē san-  
 ctorum siue demortuorum, siue etiam uiuorum ba-  
 ptisa-

p̄fisatos esse. Nunquid (inquit Apostolus) pro uo-  
 bis crucifixus est Paulus, aut in nomine Pauli bapti-  
 sati estis quasi dicat, minimē. Ioannes: Scribo uo-  
 bis filio(i m̄quit) quoniam remittuntur uobis pec-  
 cata uestra, propter nomen eius. hoc est C H R I-  
 STI Domini. Sed quid rem luce clariorem  
 Sacris Scripturis demonstrare labore? Tam uer-  
 teris, quām etiam noui Testamenti scriptura pleno  
 ore hoc testatur: Quid enim Esaias aliud clamat,  
 quām Christum pro nostris peccatis mortuum esse?  
 Christus etiam ipse(ut suprā diximus) testatur abun-  
 de, peccatorum remissionem in suo fieri nomine, id  
 quod uarijs in locis, quos h̄ic citare longum esset, ut  
 de alijs taceam, passim tradit apostolus Paulus. quo  
 niam uero h̄ec res ex sacris literis per se clara est,  
 eam breuibus h̄ic absoluam. Porro adestote pa-  
 rumper, ac hic gradum sistite, uenerandi Missæ ad-  
 uocati, an non intelligitis quantum sit sacrilegium,  
 honorem, soli Christo proprium, ui rapere, ac ad il-  
 los tandem qui eius nullo modo capaces existere  
 queunt trasferre? An non deprehenditis quanta  
 iniuria ac ignominia saluatorē nostrum afficiatis?  
 Siccime excēdatis estis mentibus, ut quanta in Chri-  
 stum iaciatis conuitia, non animaduertatis? Quid,  
 queso, hinc aliud cōsequimini. quām quōd h̄ec uera  
 precatio propter impietatem ac sacrilegium fiat uo-  
 bis in peccatum? Nec est quod hanc uestram enor-  
 mitatē glossis, siue alijs friuolis interpretationibus  
 regere studeatis. Quicūq; enim hanc precationem  
 aduersus tam apertas sacræ scripture sentētias tue-  
 ri ac

1. Ioan. 2.

Esa. 53

Luc. 24.

Psal. 109

ri ac defendere conatus fuerit, is sanè se glorie, ac honoris Christi saluatoris ac Domini nostri capitalem esse hostem aperte profitetur. Colophonis loco hoc breuiter ut adderem necessarium mihi sum est. Hanc nempe precationem alijs Missæ insutis particulis ex diametro pugnare. Ac inter alia pugnat primū, contra id quod in illorum Gloria in excelsis, dicitur: dum Christo inquiunt, qui tollis peccata mundi miserere nobis, qui collis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram, &c. Pugnat item contra consecrationem (ut uocant) calicis, item contra illorum Agnus Dei, quibus omnibus locis (de alijs taceo) apertissimè, uel etiam inuitus fateri cogitur Dominus sacerdos, per solum Christum peccata remitti.

## II. SECTIO PARTIS I.

**I**Am uero, postquam ad suum altare, ac sanctuarium accesserit uenerabilis pater, Missali suo singulari quadam reuerentia aperto, introitum incipit, quod plerumq; è ueteri Testamento, ac principiè ex psalmis Dauidis illuc translatum est: hoc facto, ad suum Kyrieleison transitum fecit, quod Latine sonat, Domine miserere. At Guilielmus Durandus, cuius ad prefationis finem mentionem fecimus, uir sanè in Sorbonicis sophismatibus (ut sibi uidetur) satis eruditus, in Irrationali suo (errauit, dieere uolui Rationali, sed non usque adeo refert) diuinorum officiorum, huius Kyrieleison, aliam etiam ac mysticam esse significationem asserit:

33

serit: nempe Kyri, hoc est Christe: ei, Deus: ei,  
praesta misericordiam: son, nobis. hoc est, Christe  
Deus praesta misericordiam nobis. Ulterius etiam  
subtilis iste ac acutus ingenio Afinus, cur in Missa  
**Kyrieleison**, cum **Christeleison**, nouies  
cantari soleat, triplicem rationem reddit. Primum  
esse somniat, ut ordo decimus, reparatus ex homi-  
nibus, non ex angelorum ordinibus consocietur. Se-  
cundam, ut ad ueritatem horum nouem ordinum deua-  
niat ecclesia. Tertiam, ut sit petitio aduersus nouena  
ordinis peccati. Est enim (ut diserte inquit) peccatum  
originale: aliud, aliud ueniale, aliud uero mortale.  
Est item peccatum cogitationis, uerborum ac facto-  
rum, simplicitatis item, fragilitatis et malignitatis.  
Ex simplicitate peccatur per ignorantiam, ex fra-  
gilitate per impotentiam, ex malignitate uero per in-  
uidiam. At quam acutae et solerter excogitatae sint  
haec magistri nostri Durandi rationes, singulares  
quidem, authenticae, ac ad persuadendum ualde ef-  
ficaces, nemo non uidet. Alias etiam aequae graues  
hic recitat, quas cōpendij gratia nunc præterea. In-  
ter alia autem subtilis hic Epicurus, hoc **Kyrieleis-  
on**, magna adhuc uirtutis ac efficacie esse asse-  
rit. Cum enim (inquit) sanctus Basilius uoce magna,  
**Kyrieleison** exclamaret, huic omnes templi Pa-  
tuiensis ianuae aperte sunt. Aiuunt etiam (inquit bo-  
nus iste Sorbonista) quinque reges uoce Geminiani  
hoc **Kyrieleison** sonantis fugatos esse. Imo, in-  
quit, aliud quiddam mysticum, quam Domine misa-  
tere, significat: quod quidem ignoramus. Atque in-  
bunc modum accentuat, eleganter ac grauer de hoc

uocabulo, Sorbonico nimirum, prius hausto pocu-  
 lo, magister noster Durandi differit. Sed quis hunc  
 asinum ita misere rugientem audiens, non perhor-  
 rescat? Sed in primis lubens à Papicolis, qua ra-  
 tione Italis uel Gallis (quoniam pars maxima uerna-  
 culum solum calleb̄ linguam, non autē Latinā) Gr̄c̄  
 è loquantur, sciscitari uellem: aut cur Gr̄cē nobis  
 loquantur, cūm magis vulgariter lingua utamur La-  
 tīna? si dicant forte, Gr̄cā uerba Latinis facilius  
 posse percipi, id sane falso est, aut maioris uirtutis  
 aut efficacie esse, id profectio non minima est super-  
 stitio. Cur igitur, cūm idem utrumque sonet, non di-  
 cunt Domine miserere nobis, uel Latinis  
 Latinē, Italīcē, Gallis Gallicē, Germanis Ger-  
 manicē, ac ita singulis nationibus nativa sua lingua,  
 id proferunt? Quero, si concionator Gallus, Gallis  
 lingue Germanicæ ignaris, Germanicē concionari  
 uellet, nonne auditores illum haberent risus? Eum in  
 modum igitur, imo multo magis ridendi sunt hi, qui  
 Latinis Gr̄cē loquentur, ac his ut plurimū, qui et  
 Gr̄cæ et Latinæ lingue sunt expertes. Porro,  
 quādoquidē hoc suum kyrteleison, nil aliud, est  
 quām Domine miserere. Cur (rogo) illud tribus tan-  
 tummodo uicibus in Trinitatis memoriā (quam quā-  
 dem illis uerbis compellare uidentur, cuiq; misereri  
 est proprium) non cantat potius quam ad significa-  
 dos nouem Angelorū ordines, ad quos hoc kyrte-  
 leison, nō dirigitur? Certo sane certius est, magis  
 consentaneū fore, si in honorem Trinitatis recitare  
 tur kyrteleison, quam nouem ordinunt angelo-

rum, quorum non interest misereri. Ad quid item nouies potius recitant, quam septies, cum septenarius numerus in sacris literis reperiatur sepius? Aut forte, cur non hic utuntur duodenario numero in duodecim (si ita adulari uolunt) Apostolorum, aut duodecim tribum Israel, aut duodecim in Apocalypsi stellarum, aut duodecim Articulorum fidei, aut duodecim de quibus capite quarto Iosue fit metio, lapidum memoria? Sed dic amabo, Est ne Deum oraturis necessariū, ut superstitione tot utatur, quot sunt Angelorum ordines, aut etiam res alię, uertus Tantum est, inquies: ac si in uulnus Christi reueretiam quinques Pater noster. ac toties Ave Maria. Vel in honorem septem gaudiorum diuine Virginis, septem Ave Maria, dixeris: sed quam sordide, insulse ac superstitione, ita respondeant stulti isti Papisticæ monarchiae cultores, quis noū uidet?

Percantato nouies grauiſſimiſ, quas ſuprad retuli mus de cauſis, hoc Kyrieleison. tum ſequitur, Gloria in excellis Deo, etc. Pulcherrima quidem diuine laudis eſt formula ab angelis de natio ſaluatorē noſtro cantata, pulchrā quidem ac ſanctam appello, eo quo in Euangelio continuetur modo, at eo pacto, quo in Miffa decantatur, profanam penitus eſſe dico: Multum enim inter hanc Angelorum de nato ſaluatorē noſtro Iesu Christo laudis habitationem, et illius in Miffa (qua in Dei omnipotentis deſpectum excogitata eſt) imitationē ſiue admiracionem discriminis eſt, immo tantum adiumentum differunt, quantum à falſo uerum discrepat.

Ad alia uero, que in hoc Gloria in excel-  
lis, &c. profert sacrificium: nepe, Laudamus  
te, benedicimus te, &c. usq; ad finē, hec illuc  
ab Hilario posita esse putant. Telephorum papam  
insuisse alij existimāt. Ceterū non interea essero,  
quod ad uerborum substantiam attinet ( quoniam  
alijs Missa abominationibus repleta sit) His uerbis  
enormitatem per se quidem inesse, nec quisquam  
inter nos erit etiam, qui non fateatur multa sub hoc  
monstro comprehendti, que non usque adeo à uerbo  
Dei declinent: que quidem sacrilegi isti ac latrones,  
è doctrina salutis subrepta, uolenter suæ abomina-  
tioni intexuere, ut sunt ex Psalmis non pauci uersi-  
culi, ex Prophetarum item ac Apostolorum Euani-  
gelistarumq; scriptis decerpitæ sententiæ. hoc tamen  
interea curandum est, ut in quem finem illa omnia  
Missæ insuta sint, diligenter animaduertamus. Sc̄i-  
mus enim ( sicuti superius dictum est) Satane huius  
abominationis autoris ac patris, calliditatē, qui qui-  
dem uerbi Dei ac diuinarum rerum prætextu, homi-  
num oculos non solum obcæcare, sed et eruere suis  
technis, ni cautijs sibi caueant, consueuit, adeo ut  
non iniuria prouerbio dicatur:

Sæpe sub hyblæo toxicamelle latent.

Ac quod ita sit, in hijs qui necare homines uene-  
no solent, uidere est: nunquam enim uenenum siue  
toxicum simplex & nudum dant, uerū illud sem-  
per delicatioribus cibis, uel potibus miscent, quo  
minori suspitione, ab his quos ita occidere destina-  
runt, sumuntur: quo factio sine dubio mortem sequi  
necessē

37

necesse est. In hoc ergo abominabilis Missæ aconito  
plus quam mortali, rem aliter se habere, non est  
quod existinet. Etenim, an non quid Sarban, ac Ro-  
manus Antichristius animarum nostrarum uenefi-  
cios insidiator agere soleat, quotidie uidemus? Nam  
quò scabiose sue Meretricis Missæ uenena tegeret,  
semper è sacris literis aliquid rapere, ac inde suas  
sordes circundare consuevit, ut nimisrum ipsius men-  
dacia, abusus, ac imposturæ (quibus plures hactenus  
ad infima usq; secum detraxit tartara) eo minus a-  
gnosci queant. Quot enim deceptiones, quot idolo-  
latrias, quot impietates sub hac abominatione exer-  
cuere, quot blasphemie, quot itē contumeliae in ma-  
iestatem Dei omnipotentis, ac honorem Christi ex-  
ortæ sunt? dum sub huius larvæ umbra, quod salua-  
tori nostro proprium erat, creaturis etiam demor-  
tuis attribuere non sunt ueriti? Vnde (proh nephias)  
res eō deuenerit, ut sub uenefica missa, magicæ etiā  
artes exerceantur. Quot enim incætationes fieri ut-  
des, quibus huius monstri aliquot particulas siue ad-  
iurationes inesse non agnoscas? Quò igitur tandem  
se uertet, & quid non audebit, infelix dijsq; ac ho-  
minibus detestandum hoc scortum, quandoqui-  
dem suis ueneficijs peragendis tam impudenter scri-  
pture sacræ sententijs abutitur? His expositis  
uenio ad id quod **Gloria in excelsis, &c.** se-  
quitur. Sunt enim orationes quedam, quas ualde pro-  
prio nomine **Collectas**, d colligendo uocat: in-  
ter alias præcipua est, quam in quatuor temporum  
Aduentus die Mercurij decantant, hoc pacto: **Prae-**

Ita quæsumus omnipotens Deus, ut  
 redemptionis nostræ uentura solen-  
 nitas, & præsentis uitæ nobis subli-  
 dia conferat, & æternæ beatitudinis  
 præmia largiatur &c. in qua quidem tum pia  
 sedices prectione, ac alijs, quid impietatis coni-  
 neatur in discursu uidebimus. Quarta etiam, quam  
 sequentii die sabbato cantant, eiusdem sarine est,  
 sed ut brevibus absoluam, qui uiderint Missale, mul-  
 ta alia in his collectis, & que impia, ac absurdæ re-  
 perient. Est etiam & altera, qua in Sabbato,  
 quod suo more barbare in Albis uocant, uenuntur,  
 estq; proximum sabbatum post resurrectionis Do-  
 mini diem, sonat autem in hunc modum Conce-  
 de quæsumus omnipotens Deus, ut  
 qui festa paschalia uenerando egimus,  
 per hæc contingere ad æterna gaudia  
 mereamur &c. Quid quoq; nō demenit, ino-  
 potius impietatis hæc collecta in se continet? Quid  
 enim sibi uelint facile perspicitur, insensata nempe  
 bestie rogant, ut perfectorum tam Natalijs quam  
 Resurrectionis Domini certis diebus ab illis cele-  
 bratorum, merita, uitam consequantur alicnara.  
 O capti oculis, o demètes, o sensibus plus quam stu-  
 pidi, quo usq; tandem uos miseris mundus ferre as-  
 pati poterit? Sed dicite rogo, quo pacto unquam fie-  
 ri posse putatis, ut festorum uestrorum celebratio-  
 ne salutem eternam consequamini? Trium tamen, in  
 toto nouo Testamento, nec Christum, nec Apo-  
 stulos, dies festos nobis unquam prescripsisse. Reiu-  
 guitur

quitur ergo, festa hæc omnia hominum institutum,  
 non autem mā datum esse Dei. Nec interea inficias  
 eo, à Christianis dies aliquot eligi posse, quibus at-  
 tentius ac sine omni obstaculo concionibus, ac pu-  
 blicis orationibus intersint, ecenamq; Domini cele-  
 brent, utq; hi, qui tota hebdomada laboribus me-  
 chanicis incubuerunt, requiei diem habeant, & hac  
 occasione (quod manus est) de rebus ad salutem ne-  
 cessarijs liberius cogitare possint. Verum ad ea om-  
 nia peragenda nullus in nouo Testamento delectus  
 dies habetur, Christianis etiam dies sunt æquales,  
 nec unue alteri aliqua prærogatiua, uel dignitate  
 preferri debet. Apostolus Galatis quod in obser-  
 uatione dierum, ac mensium superstitiosi essent, gra-  
 uiter increpat, atq; eam dierum discretionem Iu-  
 daismum magis redolere, quam Christianismum o-  
 stendit. Eodē etiam modo ad Colossenses scribens,  
 Nemo, inquit, uos iudicet in cibo aut potu, aut in Coloss. 2.  
 parte diet festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ  
 quidem umbra futurorum sunt, Corpus autem Chri-  
 sti. Quapropter post aduentum saluatoris nostrè  
 (qui ceremoniali legi finem imposuit) nullum diem  
 festum ac peculiariter à Deo mandatum ex conse-  
 cratum habemus. Ulterius etiam dico, etiamsi ex-  
 presso mandato Dei in nouo Testamento festi insti-  
 tuta haberemus, attamen per obseruationem illorū  
 (sicuti & patriarcharum nullis ex obseruatio-  
 ne legis à Deo per Mosen illis traditæ, saluis esse  
 contigit) salutem consequi minime possemus. Ex o-  
 peribus enim legis non iustificabitur omnis caro,

Rom. 3.

sed per gratiam ipsius, per redemptionem que est  
 in Christo Iesu. Plura adhuc tam ex Paulo, quam a  
 lijs scripturæ locis ad hæc probanda in medium ad  
 ferre possem argumenta, nisi Christianis omnibus no  
 tius esse scirem, nos non ex operibus legis, sed sola  
 misericordia Dei, ac gratia, hoc est, per solam fu  
 dem in Christum iustificari, quam ut hic multorum  
 locorum citatione admoneantur. Hæc autem doctri  
 na neglecta, impuri isti ac infames Missæ lenones,  
 aliud nobis persuadere impudenter conantur: nos  
 nempe ex festorum ab hominibus institutorum ce  
 lebratione felicitatem mereri æternam, quam qui  
 dem ex lege patribus à Deo data, ac mandata nemo  
 unquam consequi potuit. Diximus item superius ex  
 Perro, aliud nomen sub cœlo hominibus datum non  
 esse, in quo nos oporteat saluos fieri, &c. At uenit  
 colæ Papistæ suorum festorum obseruationem huic  
 nomini subrogant. Quo autem pacto ab ipsis hypo  
 critis sua celebrenur festa, nemo non uidet. Omni  
 bus enim notum est, his diebus ebrietati, luxuria,  
 fornicationi, homicidijs, alijsq; sceleribus prop  
 ter ocium non paruan ancam ac occasionem pre  
 beri. Ex quo has precatio[n]es siue collectas, quibus  
 ex huiusmodi festorum celebratione nos iusticiam  
 consequi prædicant, impietatis plenas esse, nemini  
 dubium esse debet. Quod si ad harum collectarum  
 finem, semper clausulam addi dixerint, nempe Per  
 Christum Dominum nostrum, &c. ac  
 sic se salutem per Christum agnoscere nobis persua  
 dere uelint, id tamē meram esse deceptionem dico:  
Christus

4<sup>1</sup>

Christus enim solus suis meritis salutē nobis attulit,  
ac uitam eternam. At deuotæ istæ scilicet, imò potius hypocriticæ orationes, nos festorum celebratio  
nibus adiunctis Christi meritis (quasi uero ex parte  
pro nobis satisfecisset suumq; meritum adeò insfir  
mum esset, ut his egregijs festis in meritis illi suc  
currere esset necesse) ne nil penitus Christo tribuisse  
uideantur, ad eterna gaudia contingere affirmant.  
Sed quād misericordiæ Christi honori ac officio detra  
hant, quis non uidet? Solū nempe Iesum Christū  
nostræ salutis officium gesisse scemel in cruce, firmè  
ter credimus, quod si solus collega profecto opus nō  
habet. Atq; infinitas huiusmodi ex ipsorum collectis  
abominationes in medium adferre possem. Verū nō  
quandoquidem hoc opusculum enchiridijs loco esse  
uolo, huic rei ulterius (ne in uoluminis exeat magis  
tudinem) non insistam. Finitis his pijs scilicet col  
lectis, tum illicò epistola cantatur, suntq; ex Psalte  
rio surrepti, ac huic abominationi adaptati, ac ut  
plurimum uoce Alleluia, sepius iterata, sarciti  
uerficiuli. Pro hoc etiā Graduali, in sua quadra  
gesima (dum scilicet id humano more lugēt, de quo  
nobis gauderendum est, nempe quod Christus pro pec  
catis nostris passus est) neo Alleluia, ut alijs diebus  
propter Telesphori superstitionem utuntur, allans  
absq; Alleluia cantant cantilenā, quam quidem  
uocabulo artis illis usitato Tractum uocat: tum  
denum Euangeliū sequitur. Neg; enim (ut iam  
sepe dixi) nego plurimā, quæ in Missa recitātur, in  
sacris literis reperi, & huic execrationi applica.

ta, miserè prophanata sunt, ratio est, quòd illie ci-  
 tra ullum fructum à uenerabili patre balbutiūtur.  
 Quid enim utilitatis Euangelij Epistole, aut etiam  
 sententiarum ex sacris literis subreptarum audi-  
 tor ignarus, demum referre poterit? nihil sanè cer-  
 tum enim est, auditores ut plurimum linguae latine  
 expertes esse. Verum quid auditores memoro? imo  
 sacrificuli ipsi, qui hoc scortum singulis diebus pro-  
 stituunt, tāquam asini ad lyram, quid murmurent,  
 plerunque non intelligunt, sed graculorum aut pi-  
 carum more, quæ præ oculis habēt, nullo sententia  
 delectum habitu prostrunt. An non hæc plus quam  
 detestanda ignorātia est? cuius rei inter alia hoc est  
 maximè conspicuum argumētum, quod Asini prius  
 quam Euangelium rudant, submissiore uoce duas  
 mendacio plenas murmurent precatio[n]es, quarum  
 quidem prima est: Munda cor meum a cla-  
 bia mea, omnipotens Deus, qui labia  
 illa[rum] Prophetæ calculo mundasti ig-  
 nito, ita me, tua grata miseratione mū-  
 dare dignare, ut sanctum tuū Euau-  
 gelium digne enunciare ualeam, &c.  
 Altera est, cum à sibi simili etiam Asinum benedi-  
 citionem se accipere putat, quæ ita sonat, Domi-  
 nus sit in corde tuo, & in labijs tuis, ut  
 dignè, & competenter annuncies Eu-  
 angelium suum, &c. Sed queso, quam ob-  
 causam hæc sibilare solent? Simias fortassis imitan-  
 tur, quæ eo pacto hominibus, crebra dentium colli-  
 sione ac stridore, adulari cōsueuerunt. Hijs pijs per  
 a clis

acis precibus tum uenerandus Dominus sacerdos,  
 ad Euangelium prorumpit. Sed hijs egregijs sci-  
 licet, ac rebus maxime conuenientibus precibus,  
 quid sacrificulum petere à Deo existimas? nihil a-  
 liud profectò quam ut dignè, ac eo, quo decet modo  
 Euangelium adjstanti populo annūciare ualeat, atq;  
 hoc quidem optimè petitum, uerum, qui usq; fieri  
 poterit, ut Euangelium dignè anunciarī posse, si in  
 eum modū recitatūr, ut ne recitans quidem, nedum  
 audīes percipere queat, ac proinde nullus ex eo co-  
 sequatur fructus? Quis tādem hos nebulones Euan-  
 gelium Christi ludibrio babere, ac Deum ipsum de-  
 testari non uidet? Id ne est debito modo populo E-  
 uangelium annūciare eo solum lecto in Missali, Math 28.  
 nec etiā intellecto? Cum Christus Apostolos, ut om̄ Mat. 16,  
 ni creature p̄dicasent Euangelium misit, an ut id  
 non intelligibili annūciarent idiomate, illis p̄-  
 cepit? Quam rogo ob causam, ut uarijs linguis lo-  
 querentur effecit, quam ut ab omnib; per uniuersi-  
 sum orbem in annūciando intelligi possent Euan-  
 gelio? Ad quid Euangeliū annuntiari debet aliud,  
 quam ut illi recepto fides habeatur? Quo pacto au-  
 tem sic recipi poterit, aut non intellectio credetur?  
 ò miseri, ò dementati, ò anima libis brutis insanio-  
 res. Quot(rogo) qui uel annis quadraginta Missis  
 uestris interfuerunt, reperire est, qui ne uerbū qui-  
 dem ullum illic unquam intellexerint, uerum affue-  
 factione, ut canes ad uenandum illuc tractisunt? Sic  
 igitur crassi, ac uentrosi papiste uineam Christi e-  
 laboratis, Sic animarum quam uobis falso adseritis  
 curam

curā geritis, Sic Domini oves, quas uobis cōmissas  
mentimini, pascitis? Verum hoc mirum nemini es-  
se debet, non enim pastores, sed lupi eis rapaces,  
Quod si discipuli Christi, non autem ministri eis  
satiane. Tum sanè Domini gregem cibo uite, ac  
intellectus, hoc est, uerbo diuino ac ueniale, non au-  
tem mendacijs, imposturis, deceptionibus, ac anili-  
bus fabulis, larvisq; pasceretis. Sed cur uestris con-  
cilijs (si dijs placet) imposturis istis ac execrabil-  
bus abusibus non subuenitis? Imò cur potius magis  
indies magisq; hæc portentia tam furiose defendunt?  
Cur has abominationes indies sub catholice Eccle-  
sie tegumento augetis? Qualem rogo huius quam  
iactatis uislicationis ratione reddere, ac uestrorum

Matth. 24.

2 Cor. 14.

mendaciorum pro tribunali, sedentii Christo excusa-  
tionem adferre poteritis? An non uos à satana fas-  
cinatos esse agnoscitis, ut cōtra Apostoli doctrinam  
in Ecclesia, lingua ignota loquamini? Si nesciero (in  
quit) uirtutem uocis, ero ei cui loquar barbarus,  
et qui mihi loquitur barbarus. Item, quomodo A-  
men dicet ad tuam benedictionem, qui quid dicas,  
nescit? Item si conueniat universa Ecclesia in unum,  
et omnes linguis loquantur, intrent autem infide-  
les aut idiotæ, nōne nos insanire existimabunt? Hæc  
omnia, nephanda bestiae, uobis dicta sunt, quibus  
Apostolus uos admonitos cupit, ne amplius idioma  
te incognito utamini in Ecclesia. Nam que tan-  
dem corruptela sit, homines oleum et operam per-  
dere, dum auscultandis uestris Missis absq; omni in-  
tellectu ac etiam fructum, se peccatorum ueniā con-  
sequi

equi hallucinantur, nemo sanæ mentis non uidet.  
 At (prob nephias) bipedales isti Afini adhuc tritān  
 apud alphabetarios pueros Catonis sentētiām (qua  
 dicitur, Legere & nō intelligere, nīl aliud quām ne  
 gligere esse) ignorant, Quo sit, ut quandoquidem  
 adeò hebetes existant, in periculose ac execra-  
 biliora errorum tenebrarūq; decipula præcipi-  
 tentur. Sed ut huic secundā sectioni semel finem im-  
 ponam, quero à uobis cucullati, ac cornuti mona-  
 chi, rasiq; papist.e, si fortè Turca quispiam aut infi-  
 delis alius synagogam uestram ingressus, in magno  
 hominum conuētu hanc uestram comediam agi cer-  
 never, ac in toto cœtu, quo hystrionis intelligeret  
 uerba, neminem esse contemplaretur, nōne (inquit)  
 omnes adstantes haberet risui? Nonne omnes cap-  
 tos mētibus illicò iudicaret? Atq; id nec iniuria qui-  
 dem, dementes enim sunt, & plus quām stupidi, qui  
 non curāt, bene an male agant, dummodo Antichri-  
 sti Romani mandatis obtemperent.

### III. SECTIO PARTIS I.

**D**ecantato Euangelio, ac à paucissimis, si res  
 bene cesserit, intellecto: tum pompa maxi-  
 ma, Credo in unum Deum, &c.  
 ululare incipiūt. Id quod festis aliquot fit solūm die-  
 bus, alijs uero minime: cuius quidem pro suo more  
 graues reddit rationes uenerādui noster agaso Du-  
 randus in suo Irrationali diuimorūm, quas hic breui-  
 tatis gratia prætermitto. Hoc unū mihi de hoc sym-  
 bolo, missæ insuto, dicendum uenit, Durandum non  
 plus satis fortasse bibisse, dum ecclesiam constituisse  
 inquit,

Inquit, Quādō quidem corde creditur ad iusticiam,  
 ore uero fiat confessio ad salutem, ut lecto euāgelio  
 illuc alta uoce symbolum caneretur, quod nimirū  
 fide per Euāgeliū in corde excitata, mox Eccle-  
 sia eiusdem confessione more decantet. Nam quo pa-  
 tho ex missā euāgeliō, alijsq; que quidem nec ad-  
 stante, nec etiam sacrificuli intelligunt, fides cōcipi  
 posse, adeo dilucide superius à nobis expositiū est  
 ut longiori explicazione hic non sit opus. Relinqui-  
 tur ergo hoc symbolum eundem in finem missā, in  
 quem & euāgeliū institutum esse. Ex quo perspi-  
 cuum est, uenerandū asinum nos hic in hoc credo,  
 ne quod nesciamus profiteamur, docere. Hoc symbo-  
 lum tādem Offertorium, quod quidem uocabili  
 lo artis ita uocant, sequitur. Estq; ut plurimum ex  
 psalmis Dauidis, aut alijs sacrae scripturæ locis de-  
 sumption. Eo autem quo cantatur tempore, diebus  
 nempe festis ac præcipue Dominicis (quibus diebus  
 propter donaria, que illis offerri solent, protractis  
 uerborum syllabis extendit, tum alijs diebus cur-  
 sorie tantum id murmurent) ubi sanē ab astantibus  
 sacrificulis uariè offertur, hiq; qui aliquid offerēti  
 gratia se eo conserunt, manipulum, uel calicis pati-  
 nam, aut sanctorum reliquias, uel etiam impunē sa-  
 crificatoris digitos deosculantur. Tum uero ijs, qui  
 aliquid post osculum dederint, à uenerabili patre dō-  
 citur, Centuplū accipies. Et uitam æter-  
 nam possidebis, &c. Sed uideamus rogo cū  
 miserē nebulae isti hunc locum ad suas nugas fle-  
 stant ac torqueant. Promissio enim est, uel relin-  
 quentibus

quentibus patrem, matrem, uxorem, filios, ac huius  
 mundi diuitias propter Christum, in Euangelio fa-  
 ga. At eo non considerato, nefarij animarum carni-  
 fices, ijs qui ipsorum affectioris contribuunt, pro in-  
 nata sibi anaritia, banc promissionem impudenter  
 applicauit. Sed nonne id uerbum Dei corrumpere  
 est? Quasi uero ita dixisset Christus, Si quis mani-  
 pulum monachi, aut patinam calicis, uel sordidos  
 missarij digitos deosculatus, quicquam in illius culi-  
 nam, uel ad alenda scorta dederit, is sanè centuplum  
 accipiet, ac uitam possidebit æternam. Verum non  
 negamus interea (sic uii in principio præfationis di-  
 ximus) in primitiva Ecclesia moris fuisse, ut in coe-  
 ne Domini celebratione munera à communicanti-  
 bus offerretur. At id omne quicquid erat, à uiris ad  
 id deputatis, qui diaconi uocabātur, pauperibus di-  
 stribui solebat: in quem autē usum missatores, suas  
 oblationes conuertant, nemo non uidet: quam misé-  
 rē enim antichristi satellites, pauperum ac uidiuarū Mm. 23  
 bona dissipent, memorare per longum esset. Offer-  
 torio decantato, donarijsq; domum missis, tum do-  
 minus plebanus hostiam nondum, ut loquitur, con-  
 secratam, pro donarijs ac muneribus sibi oblatis,  
 Deo talionem relaturus offerre uolens, subsequen-  
 tem orationem submissori uoce murmurat. Susci-  
 pe, inquit, sancte pater omnipotēs æter-  
 ne deus hanc immaculatam hostiam,  
 quam ego indignus famulus tuus ti-  
 bi offero, deo meo uito & uero, pro  
 inenarrabilibus peccatis & offendis-  
 nibus

nibus & negligentijs meis, & pro omnibus circumstantibus, sed pro omnibus fidelibus Christianis, viuis & defunctis, ut mihi & illis proficiat ad uitam æternam, amen. Quid (queso) horrendum unquam magis dici poterit? Qui enim hostia hac, nondum quidem (ut ex ipsis fatentur) consecrata (ut nūc de consecrata taceamus, que sancte eius farinæ est) id effici posse, ut inde uitam consequitur æternam affirmare audent, nonne Christum intollerabili contumelia afficiunt? Qui enim fieri posset, ut frustum panis, quod quidem (ut afferūt) simplex adhuc panis est, tantæ sit effacie non video: quin etiam illos ad hanc suam tegendam idolatriæ, nec uerbum ullum ex sacris literis habere, certo scio. Quid igitur quoniam fugient fortassis se ita undique obfessos animaduertentes, respondebunt, hanc orationem in eum finē non dici, ut de pane, qui quidem tunc simplex panis est, sit intelligenda. Verum ad id quod post consecrationē futurus est eam orationem respicere. Quod si dixerint, nullo modo quidem enorimi, sed illis assueto mendacio conuincantur, euadere poterūt. Nam (ut ex ipsis docent) quam primum haec que ab illis tunc offertur, hostia consecrata fuerit, nō amplius eadem que prius fuerat (quandoquidem ante consecrationem simplex est panis, possūt uero in corpus Christi, ut uocat, transubstantiatur.) Sed alia, secundum ipsorum quidem doctrinam, ut sit, necesse est. Ex quo sequitur, in hac sua ante consecrationē oratione, de simplici pane mentionem fieri, quod quidem uerba ipsa demonstrant aperte,

aperte, dum imposito super altare suum frusto pa-  
 nis, inquit Missanus : Suscipe omnipotēs  
 æterne Deus hanc immaculatam ho-  
 stiam, &c. quasi diceret: suscipe hoc frustum pa-  
 nis in sacrificium pro meis, ac aliorum peccatis.  
 Ad hoc etiam refellendum mendacium (ut illorum  
 nugas suis etiam nugis refutare nobis liceat) quinta  
 Canonis pars hoc referēda est, qua apertissime pro-  
 batur, illic solum de simplici pane & uino mentio-  
 nem fieri, dum ibi inquit Plebanus: Hanc igi-  
 tur oblationem, &c. hoc etenim fit etiam pri-  
 us quam uerba (ut uocant) Sacramentalia pani ac  
 uino insuffrārit, adeò etiā ut illo quinto Canonis  
 actus simplex adhuc panis ac uinum, pro nostris pec-  
 catis offeratur. Verū ne in hac tam execrabilē ex-  
 plicanda impietate diutius immoremur, lectors ad  
 illum canonis locum remitto. Sciunt etenim Papi-  
 stes quanquam aliud hic simulent pro nostris pec-  
 catis frusto panis Deo non satis fieri, uerū solam  
 inter Deum & homines reconciliationem, unicam  
 esse intercessionem Iesu Christi, ac neminem (si mo-  
 dō Afini Epistolam ad Romanos legerint) quam  
 per nomen illius Deo gratum esse. Ex quo hanc e-  
 lam precationem mendacijs, ac plusquam horren-  
 dis impietatibus, ac abominabilibus idololatrijs cè-  
 tra omne dubium refertissimam esse constat.  
 Frusto hoc panis in impetratae scilicet peccatorū  
 uenie, talionem à uenerabili Parrocho Deo patri  
 tam reuerenter oblato, tum uino aquam miscet in  
 calice. Id autem Alexandrum hisius nominis pri-

mi Antichristum instituisse aiunt, hanc interea ui-  
ni & aquæ mixtionem egregijs rationibus proba-  
re. Prima est, ut salutem populi sine sanguinis effu-  
sione, ac sanguinis effusionem, sine populi salute  
esse non potuisse. (Etenim per aquam salutem po-  
puli imaginantur, ac ad id trahunt locum ex Apo-  
calypsi, ubi dicitur: Aquas quas uidisti, ubi mere-  
trix sedet, populi sunt, & gentes, & linguae) de-  
monstrent. Secundam rationem esse dicunt, ut  
ex latere Domini sanguinē cum aqua fluxisse osten-  
dant. Etenim inquiunt, hinc Christum sine populo,  
ac populū sine Christo esse non posse agnoscamus.

Tertiam æquè grauem adserunt, nempe, ut hu-  
manitatem diuinitati coniunctam esse in Christo  
(etenim uino diuinitatem, aqua humanitatem de-  
signari dicunt) credamus. Sed hic quam acute Ar-  
sini philosophentur, quis ignorat? an quisquam  
mortalium mentis compos has fruolas nugas ac  
aniles fabulas non derideat? Sed rogo, quis huic  
uenefico Alexandro commisit, ut hac mixtu-  
ra Christi Cænam depravaret? profectò morta-  
li homini licitum esse, ut sacramentis à Iesu Chri-  
sto filio Dei, qui quidē altitudo diuinarum est, insti-  
tutis addat, uel detrahat quicquam, nemo mihi  
unquam persuadebit. At scimus Christum, ut hoc  
sacramentum pane & uino, nullis alijs rebus ad  
mixtis celebraretur mandasse. Qui fit igitur, ut eo  
non contenti Papisticæ prauitatis assertores, pro-  
pria superstitione moti, aquam uino misceat? Non  
ne Christi authoritas omnem hominū temeritatem  
compes-

compescere, & reprimere debebat? Etenim plus quam diabolicæ temeritatis est, plus uelle sapere in eo quod à tanto, tantæq; sapientie, ac prudentiae doctore, Christo nempè, constitutum est: id quod Missarijs Doctoribus accidisse uidemus, qui melius authore se intelligere mandata Christi sibi tam arroganter persuaserunt. Quod si hanc coniunctæ in Christo cum diuinitate humanitatis friuolam adumbrationē Cœnæ Domini addidere, cur id ex in Baptismo etiam non tentarunt ut aque etiam baptismo, uinum admiscent? uerum hoc Cœna Domini Sacramentum, suis imposturis corrupisse, ac eius, quod institutor Christus fieri imperat, partem ademisse, in eiusq; locum, suam hanc uini ex aquæ mixtionis abominationem subrogasse plus satis fuerat. Verendum tamen fuit, nè in Baptismum (quod quidem etiam suis uenenis adoriri non sunt ueriti) nisi renascentis Euangelij prædicatio obstisset, aperto marte etiam irruerent. His de munum peractis, acceptoq; ambabus manibus calice, Venerandus pater inquit: Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tu am deprecates clementiam, ut in con spectu diuinæ malestatis tuæ pro nostra, & pro totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Hec sanè precatio eiusdem cum alijs farinæ est, ac nè sepius repetendo fastidium lectoribus offeram, quæ supra de illorum non consecrata hostia, sine frusto panis dicta sunt, de calice

etiam siue mixto aqua uino intelligenda uenient. Qui enim fieri poterit, quandoquidem (ut et ipsi fatentur) uinum illud nondum consecratum est (de consecrato interim taceam, quod aequè nullius effectus est) ut id ad Sacrificuli ac totius mundi saltem prodesse possit? An non qui id affirmant, horrendæ blasphemiae, ac execrabilis sacrilegij rei sunt? Sed donec has nugas ueritati uel in minimo esse consentaneas probauerint, interim nostrum nullus erit, qui non hanc etiam precationem in impietate, idololatria, ac impostura, cum precedentibus passibus ambulare, firmiter sibi persuasum habeat.

#### III. SECTIO PARTIS I.

**R**EQUIUM est, ut hanc primam Anatomie nostræ patrem absoluamus. Videtur autem hic locus requirere, ut oratiæ uicias aliquas, que uelut pedissequæ sunt adiunctæ abominabili immixtioni uini et aquæ, explicemus. Sed quodquidem in huius Anatomie fine clariss, ac pleniuss tractabuntur, hic pro præsenti instituto solum modo ea que in hac prima parte desiderari adhuc uidentur, explicabimus. Secretas nempe, quas artis Missariorum uocabulo ideo sic uocant, quod submissa uoce, cumq; maiori reverentia (ut eo pacto maiorem suis Missis autoritatem concilient) murmurari soleant. Verum in hac secretas suas balbutiendi consuetudine, alleget quicquid uelint rationum, Papisticæ impietatis propugnacula: attamen mihi nunquam persuadebunt, quin satius fore, si intelligibili

53

gibili omnibus, ac ob id altiori uoce recitentur, exi-  
stimem. Sed quid aio? fortasse respondebunt (et  
bene quidem) has suas Secretas, tanta contumie-  
lia aduersus Deum plenas esse, ut quo secretius (ne  
uidelicet ab ullo intelligi possint) murmurentur, eò  
minus etiam scandali adsistentibus pariant. Inter  
has autem quas uocant secretas, quod ad impie-  
tatem attinet primas tenet ea, quae in natalitij ad  
uentus Mercurij die murmurari solet: Accepta,  
inquit, tibi sint Domine quæsumus,  
ieiunia nostra, quæ & expiando nos  
tua gratia dignos efficiant, & ad sem-  
piterna promissa perducant, &c. hec e-  
tiam eadem, post Dominicam passionis die uene-  
ris, item eodem die quatuor temporum Penteco-  
stes repeti solet. Videamus igitur quid in se habeat  
satis hæc egregia oratio: continet (quanquam bre-  
uiter) paucis uerbis tres abominabiles, execrabiles,  
ac detestandas blasphemias. Prima est, quod iei-  
unia à peccatis mundent, purgentq; homines. Se-  
unda, quod gratia Dei dignos efficiant. Tertia,  
quod ieiunijs nostris ad sempiterna promissa, hoc  
est, uitam eternam perducamur. Sed sane mirum  
est, Sathan tam paucis uerbis, tres tam horrendas  
abominationes comprehendere potuisse. Quis e-  
nim tam perficie ac effrenatae frontis est, qui in  
hac secreta tres has nepharias, ac execrandas blas-  
phemias contineri negare ausit? Principio etenim  
nonne execrabilem, ac ignominiosam blasphemiam  
merito dixeris, ieiunijs hominum, nempe co-

His operibus nos peccatorū expiationē (que qui-  
 dem intercedente passione ac morte Christi solum  
 opus Dei est) tam arroganter adscribere? Nos aliud  
 Heb.1.  
 L.102n.7.  
 Ioan.2.  
 Et.45.  
 edocti dicamus cum Apostolo, solum Christum pec-  
 catorum purgationem facere: cum Ioāne item: San-  
 guinem Iesu Christi nos ab omni mūdare peccato,  
 Joannes item Baptista Iesum Christum agnum Dei  
 esse, qui tollat peccata mundi, testis est. Quid mul-  
 ta? Esaias etiam remissionem peccatorum soli Chri-  
 sto per passionis ac mortis eius meritum tribuit: ac  
 ut dicam breuius, nōne ubiq; sacra scriptura id ho-  
 noris semper Christo soli tribuit? Verum enim uero  
 quo pacto hæc infernalis secreta eousq; impuden-  
 tia est progressa, ut id omne ieinnijs nostris tribu-  
 at? Hæc sunt scilicet missæ sacrificia, hæc meretri-  
 cis Babylonice pro suis fornicationibus holocau-  
 sta, hæc sunt deniq; decipula & laquei, quibus mise-  
 rorū animi ut assentiantur huic abominationi quo-  
 tidie irretiri solent. Si enim ieinnijs peccata nostra  
 expiari possent, ne ob profectō nostris operibus iu-  
 stificari sequeretur. etenim iustificatio nihil aliud  
 est, quam peccatorum remissio, adeò ut alterum ex  
 altero sequatur: nam qui peccata remittit, idem &  
 iustificet necesse est: opera autem nostra non iusti-  
 ficant: operibus ergo ut peccatorum remissionem,  
 ac prouide uitam æternam consequamur, impossi-  
 bile est. Quo fit, ut Papicola, qui ieinnijs Phariseo-  
 rum more hæc tribuunt, Apostoli etiam doctrinam  
 Rom.3.4.  
 Ga.2.3.4.5. mendacij arguant, qui tam s̄epe nos non nostris me-  
 ritis, sed sola Dei gratia, propter passionis ac mor-  
 tis Iesu

tis Iesu Christi meritum iustificari admonet. Praeterea, quomodo fieri unquam poterit, ut ieunijs nostris à peccatis abluamur, quādoquidē priusquam opus gratiā Deo facere possimus, nos absolutos ex mūdos à peccatis esse oporteat. Si igitur ieunia nostra accepta sūt Deo, peccata nostra nobis prius esse remissa necesse est. Sequitur ergo, ieunia remissio peccatorū, nec ex toto, ut loquuntur, nec etiam ex parte causam præbere posse: immo contrariū potius uerum esse sequitur, gratiam nempe ac remissionem peccatorū, hæc nostra opera, ut Deo grata accepta esse possint, præuenire debere. quod si quis piā clausula, Per Christū dominū nostrū &c. has secretas concludi arguerit, ac sic missæ incantatores (cantatores dicere uolui) per Christum nobis remitti peccata, hic fateri dicat, illi breuibus responsum esse uolo. Aut enim per solum Christum remitti peccata uolunt Papistæ, aut non per unicū Christum, sed simul per opera. quod si soli Christo illud officij tribuunt, ad quid opera admiscent? Sim autem Christo tāquam per se id solus nequeat, opera addere uolūt, grauiter sane in sacram scripturā peccant, quæ quidē ubiq; nobis unicū pro peccatis nostris propitiatorē Christū proponit. Porrò etiā hoc quod' modō dicebam uerū est. ieunia. s. aliaq; opera deo grata, nisi iustificatio, hoc est, peccatorū remissio illa præueniat, esse non posse: etenim cū dicit̄te Psalmista, Omnis homo mēdax, ac iniquitatib. cōceptus, qui fieri possit, ut citra præuentionē gratia Dei, hoc est, iustificationis fidē in Christum bo-

Rom. 5  
1 Corin. 2  
2 Corin. 2  
Galat. 3  
Ephes. 2  
Colos. 2  
1 Timot. 2  
1 Ioau. 2  
1 Pet. 2  
Apoc. 5  
Psal. 14. 58

na opera, ut sunt ieiunia (que quidem, ut plurimum etiam inuiti facimus) Deo sint grata, non video. Relinquitur ergo opera illa Papistica, siue Christo coniunxeris, aut ab eo disiunxeris, nullo modo remissione peccatorum causam præbere posse.

Quod si forte replicaturi ulterius dixerint, hic remissionis peccatorum non quod ad culpam, sed quod ad poenam attinet mentionem fieri, huic actu scilicet argumento ita responsum uolo: Quodcumque simplex purgationis, hoc est peccatorum remissionis fit mentio, tum ad culpe expiationem tanquam causam id referri debet. Sed haec Secreta simpliciter loquitur, igitur de culpa tanquam re magis principali, non autem de poena intelligenda est. Unde rursus sequitur, Remissa culpa, nullam manere poenam. Sublata enim causa, et effectum tolli necesse est. Vbi igitur nulla culpa, ibi et nulla poena est. cum enim Deus peccata remittit ex gratia, illorumque culpam penitus delet. Tum sane, quin et poenam, que culpans sequi solet, tollat, non est dubium. Quid igitur calceati Asini Romani tam egregie hic philosophantur, ut hoc suo arguento, ieiunijs peccatorum tolli solummodo poenas persuadere uelint? Nec id etiam me moratur, quod peccatis remissis Deus peccatores sepiissime uarie afflixerit, ut Davidem et alios non paucos. Ex eo enim non sequitur huiuscmodi afflictiones in peccatorum satisfactionem quandam, ac premium a Deo immitti, id enim multò aliter se habere credendum est. Quis enim mortalium, penam  
ad eo

Rom. 5.

ad eō grauem excogitare, aut imaginari sibi poterit, qua pro minima aduersus mandata Dei transgressione satis fieri posse, iudicio Dei existimet? Quo pacto(rogō) peccatores, tot delicta, tot impietates, ac tantas in Deum ac Christum eius blasphemias compensare poenis unquam poterunt? Num his perpetuis afflictionibus, illum placabunt? Has igitur afflictiones, quibus post remissionem peccatorum puniri hic solent peccatores, non ideo nobis immitti credamus, quod ijs pro nostris peccatis sibi satisfieri Deus uelit: sed propterea id fieri existimemus. Primum, ut peccatorum nostrorum admoneamur, quorum reputacione humiliores effici, nosmetipso miseros, corruptioniq; ac peccato obnoxias esse creature agnoscamus. Tum etiam, ut in aduersitatibus spem exercendo, ad invocationem aduersus Sathanæ insidias excitemur, & in eadem reuineamur. Postremò huiuscmodi fideli bus, immisse calamitates, alijs quoq; ut à peccatis sibi cauere studeat, in exemplum propositæ sunt. Atque in hunc modum, cum de meritis ac peccatorum remissione loquitur, de his afflictionibus (ubi & David aliorumq; fidelium mentionem facit) sentit Augustinus. Restat ut secundam huius secretæ impietatem explicemus. Superius eam esse diximus quæ ieiunijs nostris gratia Dei dignos nos affici affirmet. Atque hæc sane intolerabilis, ac ab omnibus (uel authore Augustino) damnada heresis est, sicutq; in hoc errore Pelagius hereticus, quæ tandem heresis in conniuio Palæstino, ab ipso auto-

De mer. & remiss. pecca.  
Lib. 2. c. 34.

Lib. de præd.  
fan. cap. 2.  
Epist. 105. 106  
107. &c alibi  
passim sicutis.

Rom. 11

Lib. de præd.  
fan. cap. 1.

Rom. 6

Eph. 2

Tit. 3

Aç. 4

reuerito utpote ne et ipse unà damnaretur) Augustino teste damnata est. Sed quid Augustinum, alios ue Ecclesiæ Doctores hic commemo-ro? Paulus ad Romanos id tam aperte ostendit, ut alia probatione non sit opus: Sim autem, inquit, ex gratia, iam non ex operibus, alias enim gratia nō esset gratia. Hic profectò dilucide apparet, Opera aut merita, si gratia interueniat, opera aut merita, non amplius esse: quod enim ex gratia fit, id meritis adscribi nequit, sicuti quod ex merito quis consequitur, ex gratia fieri, dici nunquam potest. Atq; hinc quidem, quam enormē hæc execrabilis precatio, contradictionem contineat, facile apparet. gratiam enim quæ fiat pro meritis nullo modo gratiam dici posse testatur Augustinus. Tertia huius abominabilis precationis pars, nos nostris ieunijs ad sempiterna promissa perduci afferit. Sed ut hic breuius rem absoluamus, Est ne inter mortales quisquā a deo excæcatus, ac mēte captus, qui, quandoquidem nulla in operibus, sed in passione, ac morte saluatis, ac Domini nostri Iesu Christi salus est, hanc execrabilē blasphemiam, illico non animaduertat? Apostolus pluribus in locis eius passim nos admonet. Petrus etiā idem (dum inquit nullū aliud nomine esse sub cœlo, in quo nos saluos fieri oporteat) testatur: at eò neglecto spredoq; ministri satanæ, medi antibus ieunijs nostris, nos saluos fieri, mereri item gratiā Dei, ac tandem perduci ad uitam æternam, falso nobis persuadere nituntur. Porro altera & que abominabilis, ac detestanda oratiuncula siue

siue secreta nobis preterea non est, que uicesimo  
 Quarto post Trinitatis festū Dominico die murmu-  
 rari solet: Suscipe, inquit sacrificulus,  
 Domine propitius hostias, quibus &  
 te placari uoluisti, & nobis salutē po-  
 tenti pietate restitui. Sed obsecro, quid leno  
 hic missarius hac sua secreta sibi uelit uideamus.  
 Primiū est, ut per has impudentū nebulonū hostias  
 placari Deū posse credamus. Tū uero per has, quas  
 uocāt hostias, salutē nobis restitutā esse impudēter  
 nugatur. Etenim ubi unquā frusto panis ac haustio  
 uini Deū se placari uoluisse (haec nēpē duo nō sacra-  
 mētū, sed panis tātū ac uinū sunt) legerint, mihi nō  
 cōstat, imō quod maius est, quāquā sacramenta es-  
 sent, quis illos docuit, Deū huiuscemodi rebus no-  
 bis recōciliari, ac per ea salutē nobis restitui? Sci-  
 mus sanē ex sacris literis, nos erga Deū pacē habe-  
 re, illiq; recōciliatos esse per unicū Dominū nostrū  
 Iesum Christū. Cū enim eramus inimici, recōciliati  
 sumus Deo per mortē filij eius. Itē in ipso cōplacuit  
 omnē plenitudinē inhabitare, & per eū recōciliari  
 omnia, in ipsum pacificās per sanguinē crucis eius,  
 siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sūt, &c. haec sa-  
 ne adeō clara & perspicua sūt, ut illorū ignoratiā,  
 nemo nisi insano iure prætendere possit. Sacrisigitur  
 scripturis aperte instruimur, per solū Christū Deū  
 placatū ac unico Mediatore Christo homines Deo  
 recōciliatos esse: huic planē contrariū (dū hac ex-  
 crāda precatione frusto panis, ac modico uno aqua  
 mixto id fieri, rasi, cucullati, ac cornuti Sathanæ  
 & seclæ nostris mētibus, falso persuadere conantur)

Rom. 5.

Colos. 1. 5.

affirmant: cui igitur parti adhærebimus? num pro-  
 phetarum, apostolorum ac euangelistarum conser-  
 tientes sentētias: an uero missariorum istorum, qui  
 hæc in sua secreta, tam impudenter mentiuntur, nu-  
 gas ac aniles fabulas, inō satanicas imposturas se-  
 etabimur? Quod ad aliam huius nefandæ ac im-  
 pie precatiuncule partem attinet, qua quidem hic  
 hostijs salutem nobis restitutam esse dicunt misse  
 fœneratores, quid (rogo) aliud est, quam diabolica  
 blasphemia, ac aperta Christi, ac passionis eius ab-  
 negatio; sicuti enim per solum ac unicū Christum  
 Deo recōciliati sumus, ita ex salus nobis per ipsum  
 solum (quando quidem solus saluator noster est) re-  
 stituta est. Etenim Christum saluatorem mundi esse  
 credere, præcipuus Christianæ fidei est articulus.  
 Que igitur audacia est, ut tam temerē, inō impie  
 de nostra salute loquatur antichristus Romanus: an  
 non plus quam satanica arrogantia est, de re tanta  
 effrenatè adeò, ac impudenter, citra sacram scriptu-  
 ram, inō, quod deterius est, contra aperta ac euidē  
 tia sacrarum literarum testimonia pronūciare? Sed  
 nullus unquam finis esset dicendi, si omnium (quas  
 uocant) Secretarum blasphemias, impietas, sacri-  
 legia, imposturas, ac satanicas deceptions ad un-  
 guem discutere uellem. quapropter ne eandem can-  
 tilenam sèpius repetere uidear, que istius generis  
 sunt, in huius enchiridijs finem reseruabo, quo loci,  
 sacramentū peccata expiare non posse (multò mi-  
 nus panē ac uinū) ualidis, ac infallibilib. scripture  
 sacre testimonij ac rationib. uolēte deo, probabo.

ANA-

ANATOMIÆ PARS II.  
SVB QVA CANON, DIGNIOR  
totius Missæ actus explicatur, in  
quatuor sectiones diuisa.

SECTIO PRIMA.

**S**uperius in prefatione polliciti sumus, post huiuscemonstri capitï anatomiæ, nos illico ad secundam partem, Canonem nempe progressuros. Secretis igitur finitis, illico Canonem murmuraturus sacerdos, quasi adstantes, somno excitare uoles, elata uoce suu incipit rugire Per omnia, Tu uero ter reuerenter, ac deuotè scilicet per cuso pectore, suum Sanctus illic subuertit. Sed hactenus recitandis huius morionis histriconicis in hac comoedia gestibus (quibus quidem adstantes ad suum uel audiendu, uel uidendum canonis actum, tanquam histrio ad simiae saltus aut alios quispiam ludicos uidēdos iocos allucere solet) non usque adeò insistere uolui. In presentiarum igitur res postular, ut hoc, Per omnia, discutiamus. huius autē tam egregij actus sunt interlocutores sacerdos, & minister. Sacerdos Per omnia secula seculorum. minister, amen. Sacerdos, dominus uobis cū minister, & cū spiritu tuo. Sacerdos, sursum corda, minister, habemus ad Domini. tum presbyter expäsis manibus tanquam in mediu saltaturus, uel aliud quidpiam ludici agere uolens, acclamat, Gratias agamus Domino

no Deo nostro. minister, dignū & iustū  
 est. Tum demū sacerdos quicquid hic est reliqui,  
 solus peragit. Atq; in hunc modum dialogus hic ad  
 sequentē canonis actum praeludij loco est hoc pre-  
 ludium Sanctus tandem sequitur: quod sancte lau-  
 dis præconiuū Hierosolymam ingresso salvatore no-  
 stro, ab Hebreorū pueris est decatatum: sed hic ab  
 antichristo suæ comœdiae insutum (adeò quod fru-  
 sto panis ac modico uino aqua permixto, impie ac-  
 commodetur) misere profanatum est. His breui-  
 ter de canonis præludio recitatis, nunc rem ipsam  
 adgrediamur. Canon (inquit acutissimus noster Du-  
 randus) sic dictus est, quod ex patru regulis sit com-  
 positus: etenim (ut diserte inquit) canon Grece, La-  
 tinè nil aliud quam regulā significat. Christus enim  
 uerus sacrificator, quasi per regulam illic repre-  
 sentatur, ob id quod panis & uini consecratio illic  
 fiat. Atq; haec est pro huius in missæ materia philo-  
 sophi captiuocabuli Canonis genuina significa-  
 tio. Hinc Innocētius papa in suis Decretalib. hunc  
 canonem in ecclesia, tanquam ab Apostolis traditū  
 obseruari expreſſe mandat. Sed nonne haec est an-  
 tichristi plusquam satanica audacia, dum ea que in  
 Dei ac salvatoris nostri despectū ab hominibus fa-  
 bricata sunt, & que ac si Deus ipse mandasset, obser-  
 uari iubet? Neminem profectō sancte mentis latere  
 existimo huius Canonis blasphemias post Aposto-  
 lorū tempora quingentis plus minus annis fabri-  
 catas fuisse. ex quo sophistæ cuiusdam somniū, non  
 aut Euangeliū, aut Apostolorū dogma esse, manife-  
 stissime

C. cām Mar.  
 illæ de celeb.  
 ysserum,

Stissime sequitur. Sed hic prætereūdum non est,  
 uenerabilē artis missariæ doctorem Durandū, Ca  
 nonis interpretationē cum summo apparatu ordi  
 ni: quo loco magna ac(ut sibi uidetur) menarrabi  
 lia ipsius arcana, subtiliter, prout illi moris est, tan  
 quam oraculū Apollinis explicat. Expositioni (in-  
 quid) Canonis uacare præuidimus, uerūtamen quic  
 quid exponere conamur, nullius appetet esse mo  
 menti: deficit namq; lingua, sermo disparet, supera  
 tur ingenium, opprimitur intellectus. In hæc uerba  
 hic Durandus Ciceronianus scilicet rhetor prorū  
 pit, tum addit, Pulsabo tamen ad ostium, ut amicus  
 accōmodet mihi tres panes, qui huic conuiuio ma  
 ximè necessarij erunt, uidelicet fidem, quæ petit &  
 accipit uitam: spem, quæ querit & inuenit uiam:  
 & charitatem, quæ pulsat & aperit ueritatem. Sed  
 si quis huius nostri philosophi in tam arguto nego  
 cio allegoriā hāc altius discutere uelit, nil aliud ibi  
 coniūcere poterit, quam quod se in tā difficiiliac e-  
 tiā miraculoſo negocio ita defatigatū, negocio pro  
 uideat, ut petat fibi ob perferēdos ea in re labores  
 et sudores, lasso ac fitibūdo futuro, optimi ac theo  
 logici (ut uocant) siue Sorbonici uini haustum  
 prius subueniri: quapropter illicò per allegoriā, à  
 principio se fore (cellæ uimariæ nempe) pulsaturū  
 pollicetur. Verūm huius præludiij histronicis, ac  
 ridiculis gestibus, necnon somnijs ac ambagibus hu  
 ius asini relictis, ad Canonis explicationem uenia  
 mus, quod quidem ita sonat: Te igitur cle  
 mētissime pater, per Iesum Christum  
 filium tuū supplices rogamus, ac peti

mus, ut accepta habeas, ac benedicas  
 haec do + na, haec mutne a, haec sancta  
 sacrificia illibata, in primis quæ tibi  
 offerimus pro Ecclesia tua sancta ca-  
 tholica, quam pacificare, custodire, ad  
 iuare, & regere digneris, toto orbe  
 terrarum, unâ cum famulo tuo papa  
 nostro, antistite nostro, rege nostro, et  
 omnibus orthodoxis, atque catholi-  
 cae & Apostolicæ fidei cultoribus.  
 Atque hec huius tam egregie actionis prima pars  
 est, qua sacrificulus panem & uinum pro Eccle-  
 sia, Papa, Episcopis, prouincialibus, Abbatibus,  
 omnibusq; catholicis, sancteq; suæ Ecclesie, ac se-  
 dis apostolicæ famulis, in sacrificium acceptari pre-  
 catur. Ad hec præterea hunc panem ac uinum  
 nondum consecratum, sacrificium sanctum ac illib-  
 tum esse, oblatumq; Deo patri pro Ecclesia omni-  
 busq;, quorum hic mentio facta est, affirmat. At  
 que hic ( inquit Durâdus ) nulla inest difficultas,  
 quandoquidem uerba per se clara sunt : uerum sub  
 tribus super pane & uino factis, cuius signis admis-  
 trabile latet mysterium. Philosophum igitur ea dere-  
 somniâtem audiamus. Haec tria, inquit, crucis signa,  
 tripli modo Christum esse traditum nobis demon-  
 strant. Primo namq; Deus pater Christum nobis  
 tradidit. Secundo Iudas. Tertio uero à Iudeis Pila-  
 to traditus est. Quòd si huius fanatici deliria locū  
 quoquomodo habere possent, cur non & quartum  
 modum, quo semetipsum nobis tradidit, quarto  
 crucis

crucis signo non designauit? Tradebat autem (inquit Petrus) iudicanti se iniuste. Christus inquit A-  
postolus tradidit semet ipsum pro nobis oblatio-  
nem, & hostiam Deo in odore suavitatis. Sed hui-  
us in sacris literis adeò plena sunt omnia, ut hic ex  
empla congerere necessarium non existimem. Inte-  
re tamen quis hūc, quo semet ipsum pro nobis tra-  
didit Christus modum, multò efficaciorē eo, quo  
à Iuda proditus est, non dixerit? Cur igitur eius phī-  
losophus noster non meminit? Verum ob id quod  
sacraturum literarum cognitione præditus non fue-  
rit, & forte tunc animum habuerit in patinis, iure  
illi ignosci debet. Ulterius item circa has suas cru-  
ces philosophatus, animum ad altiora erigit, ete-  
nū eas in Trinitatis. Trinæ item Christi crucifixio-  
nis (ac primam esse somniat in uolūtate persequen-  
tium, secundam in uoce clamantium, tertiam deni-  
que in crucifixione manuum & pedum) memori-  
am fieri grauiſſimè disputat.

Alia quoque hic & quē absurdā somniat, que ne  
lectoribus nauseam pariant, prætermitto. Sed quæ-  
so, nonne ut egregie bibat (quandoquidem his mira-  
culosis harum crucium arcanis exponendis tantum  
laboris impedit) philosophus noster missarius dig-  
nus est? Quis autem huic pamphago tantum autho-  
ritatis tribuerit, ut suis crucibus tot significationes  
accōmodaret, nescio: id tamē certum est, hoc quic-  
quid sit, diabolicā imposturā, ac monachalē super-  
fitionem esse, cuius nec Apostolorum tempore, nec  
rebus in Ecclesia nondum depravatis, ulla unquam

mentio facta est. Reliqua uerba, quibus hæc prima canonis pars contexta est, breuibus, ut notentur digna sunt. hic enim frustum panis, ac modicum uini, dona, munera, ac sacrificia, quæ Deo offerantur uocat Sacerficus. Sed cedo quæ? Sancta ac illibata, hoc est, quæ nemo adhuc gustauit, attigit, aut que nunquam sacrificata prius fuerunt. Hoc enim, quo hic utitur uocabulum (quod quidem ab idolorum cultoribus, qui cum de suis uictimis loquebantur, eo uocabulo uti consueuerant, mutuati sunt) id significat. Cæterum pluribus huius philosophi Afininas speculationes, harumq; cruciū plusquam ridiculas interpretationes hic reensere, non minus longum, quam tædiosum effet. Quapropter ad huius nostri canonis secundam partem ueniamus.

Hæc autem secunda pars, Memento, continet, est autem actio, quam pro uiuis somniare solet presbyter, Memento (inquit) Domine famulorum, familiarumq; tuarum. Hoc murmurato sacrificulus ori ambas manus adponēs, clausisque oculis, adeò se ridiculē gerit, ut ipsum ad ludum puerorum (qui obiecto uultu se inuenient queritare solent) agendum præparare, uel forte hesternam crapulam obdormire dices. Tum uero ita somnolentus, pro benefactoribus preces se fundere simulat, concubine etiam plerunque, quam domi reliquit, memoriam agit, ne nimis in eo absente, cum alio fornicetur, ac, ut plurimum, de culina etiam solleitus est. Hac tandem hypocrifica, imo ridicula ac somnolenta contemplatione

tione peracta, quasi somno excitatus orationem suam continuat. Et omnia, inquit, circumstantium, quorum fides tibi cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerinus (uel qui tibi offerunt) hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum sua rum, pro spe salutis, & incolumentatis suae, tibi reddunt uota sua Deo uiuo, & uero. In hoc uenerabili. Memento, mihi est, quod non citra Durādi philosopham intellige queat. Sacrificulus enim panem ac uinum pro illo rum, quorum in hoc suo somnio reminiscitur, ac omnium astantium peccatorum remissione, offerri affirmat, uerum quam horreda haec est blasphemias. Quo tandem Christi erga humanum genus beneficia reponentur? Vbi nam erit pro peccatis totius mundi per Christum facta redemptio? Quam imprudenter missæ lenones honori Christi detrahāt, quis nō uidet? Quemadmodum (inquit Apostolus) Hebr. 9. statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Ioannes: Tu redemisti nos (inquit) deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro, regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Hic adhuc multa adduci possent exempla. Sed in re tā dilucida pluribus hic sacrae scripturæ sententijs agere superfluum esse existimauis. Nullus igitur iā perficitur erit frontis, qui orationē

hanc papisticam imitatus, redemptionem animarum frusto panis aut etiam haustu uini fieri, diceret audeat. Christus enim, non autem panis & uinum solus redemptor noster est: panis quippe, ac uinum minoris sunt aestimationis, quā ut Dei iudicio satisfacere possint. Ad hæc, si frustum hoc panis, ac uinum à sacrificulo tum esset consecratum, Christusq; propriè, ac essentialiter illic inesset, an ne propterea adhuc dicendum foret, pro redemptione animarum illum offerri debere denuo? siccine illum ab impuris huius bestiæ manibus sacrificari oporteret? Quoniam uero Christus pro animarum nostrarum redemptione semetipsum semel obtulit in perpetuum, quid causæ sit cur ab istis Missæ mercatoribus denuo sacrificetur, non video. Qui igitur hoc Memento, plus quam execrabile esse non credit, is sane non Christi, sed Sathanæ minister sit oportet. Præterea hic notandum uenit, Sacrificium dum inquit, Pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, &c. His uerbis fateri, adstantes illosq; omnes, quorum memoriam agit, hoc etiam suum sacrificium offerre, ac per consequens aque ac ipse est, Sacerdotes esse. Nam secundum Romanii Antichristi dogma, nemini præterquam Sacerdoti hoc missæ sacrificium offerendi ius concessum est. At uenerandus Dominus plebanus adstantes sacrificium inquit hoc offerre, illos igitur Sacerdotes ac Sacrificatores, aut etiam raro enim hæc abominatio agitur, quin mulierculæ aliquot

liquot adstant, uel etiam presbyter concubinæ  
sue, quam lucri gratia ad missam prorumpens, in  
lecto adhuc delitescentem reliquit, in suo Me-  
mento non recordentur) Sacrificatrices esse con-  
stat. Ex quo infero, missatoris concubinam (si huic  
Memento insertis uerbis credendum est) & que  
ac ipsum missæ mercatorem, ac ad stantes sacrifi-  
care. Adeste igitur miseri animarum, ac conscientia-  
rum carnifex. hancq; mihi tam evidentem in ue-  
stra doctrina contradictionem soluite. Neminem  
hoc sacrificium offerendi ius habere, qui ab Epi-  
scopo rausus, unctus: ac uestris sacris initatus non sit  
mordicus tenetis, at sacerdos hic in suo memen-  
to adstantibus, omnibusq; quorum illic memo-  
riam agit, id &qua lance tribuit, meretrix igitur  
hoc uestrum sacrificium offerre potest. Quod si  
quis inter uentricolas Sorbonistas haec duo conci-  
liare poterit, illum sane egregij ac theologici uini-  
haustu dignū iudicabo. Exposita huius actus se-  
cunda parte, nunc ad tertiam accedamus. Hec au-  
tem superstitione, ac execribili supra quam dicere  
est, idolatria plenam continet orationem. Cō-  
municantes ( inquit sacrificulus) & memo-  
riam uenerantes in primis gloriofæ,  
semperque uirginis Mariæ, genitri-  
cis Domini nostri Iesu Christi, sed &  
beatorum Apostolorum, & marty-  
rū, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi Ioan-  
nis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bar-  
tholomei, Simonis & Thaddæi, Lini,

70

Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cy-  
priani, Laurentij, Chrysogoni, Ioan-  
nis, & Pauli, Cosmæ & Dämiani, &  
omnium sanctorum tuorum, quo-  
rum meritis, precibusque concedas,  
ut in omnibus protectionis tuae mu-  
niamur auxilio per Christum Domi-  
num nostrum. Amen. Quis rogo hanc  
omni iniquitate, impietate, abominatione, ac idolo-  
latria plenam precationem contemplatus, non per-  
horrescat? quis has execrabilis blasphemias, ac sa-  
tanæ sacrilegia, tanquam exitialem pestem non fu-  
giant? Quod autem hic Diuæ Mariæ Virginis, ac  
**Lib. 4. c. 22.** sanctorū memoriam facit missator, id à Syritio pa-  
pa, ac uenerabili Anichristo, institutum afferit Du-  
randus. Cur autem sanctissimus ille, horum inter alios  
plurimos suo (ut uocant) Calendario, inscriptos  
sanctos potius mentionem fecerit: in causa est quòd  
dummodo sancti huic actui interessent, qui uel qua-  
les essent, non usq; adeò illi curæ fuerit. Ceterum in  
hac canoniz parte nil non intellectu facillimum ex-  
tat. Verum quandoquidem pro indubitate tenet sa-  
crificulus, de mortuos sanctos pro nobis apud De-  
um suis precibus intercedere (quod quidem aduer-  
sus uerbum Dei Sathanicum inuentum est) nobis  
sanè de hac re disputandi latissimus locus se offerre  
posset, attamen ne lectoribus æquo prolixiores, ac  
tædiosiores esse uideamur, quod præsentis  
nostræ instituti est, tantum ordine  
persequemur.

## II. SECTIO PARTIS II.

**H**ec huius secundæ partis sectio, quartam, quintam, sextam, ac septimam huius actus canonici scenam continet. Hanc igitur, inquit, oblationem seruitutis nostræ, sed & familie tœ quæsumus Domine, placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Quæ autem illico sequitur quinta, hoc pacto sonat, Quam oblationem tu Deus in omnibus lquæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, ac acceptabilem facere digneris, ut fiat nobis corpus & sanguis dilectissimi filij tui, Domini nostri Iesu Christi. Hæc dicendo quinques sacerdos singit signum crucis, scilicet nempè super solo pane, ac toties super solo uino, tum etiam tribus coniunctim super utrisque uicibus. Atque his gestibus se ridiculum usque adeò exhibit, ut muscas suis cruciatis signis ex aula quadam æstatis tempore abigere diceret. Harum autem crucium ac uerborum, Benedictam, nempè ratam, adscriptam, rationabilem, ac acceptabilem: uarias, ac pro suo more ineptas ualde, ac absurdas significationes congerit philosophus noster Durandus, quas hic

lubens prætereo. Ad quid autem necesse fuerit, ut  
 his crucibus totq; superstitionis tanquam necessa-  
 rius gestibus (ni forte se à patre mendacij ac omnis-  
 illusionis magistros ita electos dicant) utantur papi-  
 stæ, nescio. Huiusmodi tamē deliria nec Christum,  
 nec Apostolos mandasse, multominus primitiæ  
 Ecclesiæ cognita fuisse, certo certius est. Quid si  
 Apostolus Corinthios huius sacramenti genuinum  
 usum docens, nil de suo addere ausus est (etenim se  
 à Domino quod illos docuerit, accepisse fatetur)  
 qui sit, quod tanta sint audacia Papistæ, ut tot tantis  
 que quasi simiarum gestibus adiumentis, hanc sacra-  
 tiissimam Domini cœnam, tam fœde contaminare  
 non uereantur? Nonne pura & simplex institutio  
 Christi tanta reverentia ab Apostolis obseruata,  
 nobis sufficere, ac in perpetuum inviolata apud nos  
 manere debuit? Christus profectò Dei filius tæte in-  
 ter mortales authoritatis esse debebat, ut id, quod  
 ore suo ea de re pronuntiarat, ab illis obseruaretur.  
 Sed hominum temeritas adeo effrænata fuit, ut id  
 quod in sua Ecclesia obseruare perpetuo mandaue-  
 rat Christus, inuertere, aut penitus (illius loco ex-  
 erabili substituto Missæ Idolo) tollere nō sint ueriti?  
 Quā quidē tyrannidē non solū in hac sacratissima  
 domini cœna, uerū in lauacro regenerationis, dum  
 ei sal, oleum sputum, exorcismum, aliaq; Sathan-  
 ca inuenta addidere, miserè exercuerūt. Sed non  
 solum huiusmodi fuit hominum in uiolandis Dei  
 mādatis audacia ac temeritas, uerum etiam nefarij  
 sacrilegi, ac falsarij, quo scung; sacras Christi ac syn-  
 geras

ceras institutiones reuerenter obseruare, se totos  
 Christo mancipare, ac ipsius mandatis obedire a-  
 nimaduertunt, damnare incessant, ac impudenter  
 hereticos esse pronuntiant, tandemq; in illos (qua-  
 si uero hominibus magis, quam Deo obediendum  
 sit) igne, ferroq;, impiè grassantur. Verum ad  
 nostræ tam piæ scilicet orationis uerba redeamus.  
 Quæsumus, inquit, ut paratus hanc no-  
 stræ seruitutis, ac cunctæ familiæ tuæ  
 oblationem accipias. Nunc uideamus rogo,  
 quam artificiose hec uerba hic insuta sint. Pri-  
 mum, pacatum Deum dicit. At quibus medijs? Hac  
 inquit, nostræ seruitutis oblatione. Digna scilicet  
 satisfactio, quasi uero puerorum more, pomo, fris-  
 slo panis, uel etiam uini haustu pacari queat Deus.  
 Quid autem cogitat missator, dum id suæ ac alio-  
 rum seruitutis oblationem esse murmurat? An non  
 id egregium obsequium est? Eo ne pacto Deus,  
 sibi inferuendi modum, ac regulā nobis præscrip-  
 sit; prob, insulæ bestiæ, quis nos talem cultū exco-  
 gitatum ab hominibus Deo gratum fore, unquam  
 docuit? An uerum Dei cultum adhuc ignoratis? I-  
 mó nescitis penitus: Quandoquidem enim uerbum  
 Dei à nobis hactenus spretum est, non iniuria quo-  
 que in ignorantia uestra sepulti estis. Certum est e-  
 nim hæc tam effrenata audacia ac superbia diabo-  
 lica crescente, qua quisque pro libito sibi peculia-  
 res cultus Dei excogitauit, diuinam maiestatem,  
 eosq; prouocatam fuisse, ut hominum oculos ma-  
 gis magisq; indies excæcarit, cordaq; illorum

ad eo indurauerit, ut relictæ Euangelij uera, pura,  
ac simplici doctrina, idololatricis suis missis se totos  
dare non sint ueriti: quò tandem res illorum cōde-  
uenit, ut in hæc usque tempora mille superstitutioni-  
bus, ac execrabilibus impietatibus uerbō diuino  
neglecto, in Ecclesia locus datus sit. Tum uero ue-  
nerabilis pamphagus ulterius pergit, diesq; no-  
stris, in tua pace disponas, ac à dam-  
natione æterna nos eripi, et in electo-  
ruim tuorum iubeas grege numerari.  
Hanc bniusce tam deuotæ ac piæ scilicet precatio-  
nis conclusionem, pījs lectoribus discutiendam re-  
linquo. Hoc unicum dicam, nempe hunc sacrile-  
gum, nec quid, sit pax Dei, nec quid electorum  
Dei gregi ascribi intelligere. Pax enim Dei consci-  
etiliarum quies est, qua quidem fruuntur fideles,  
dum se Deum per Mediatorem unicū Iesum Chri-  
stum propitium habere, ac per gratiam & miseri-  
cordiam Dci, fidemque in passionem, ac mortem  
Christi, sibi remissa esse peccata firmiter statu-  
unt. Verum quomodo hæc Dei mysteria intelli-  
gerent qui indies de sua salute (quandoquidem par-  
tim in humanis operibus consistit) addubitanti?

Ne autem misericordiis istis insanior esse uidear, si  
quibus inepijs, impietatibus, ac idololatriæ con-  
iunctis stulticijs hæc abominabilis precatio refusa  
sit, ostendere conarer, hic ea de re uerbū nō amplius  
addā. Accedo igitur ad quintā huīus actus scenā,  
qua quidem sole clarissim, sacerdos hoc suū Idolum  
delegit. Apertissimè enim, panem tantum, ac uinum  
nudans

nudū esse, in hac sua oblatione, uel ex eo inter alia  
cōuincit potest, quod hic nec corpus, nec sanguinē  
Christi (dum petit ut postmodum corpus, ac sanguis  
is Domini sunt) adhuc adesse indubitanter fatea-  
tur. Relinquit ergo, sicuti sēpē dictū est, frustū pa-  
nis, ad modicū uini, pro peccatis cū sacrificuli, tum  
etiam adstantium, ac omnium quorum in suo Me-  
mento reminiscitur, oblationem ac sacrificium  
esse. Quis hanc impietatem non abhorreat? Quis  
igitur hanc blasphemiam non admittetur? hāc plus  
quam gentilem idolatriam non fugiat. Quis de-  
nig hanc tam execrabilē abominationē nō perhor-  
rejetat? Nec est quo duenerabilis ille agaso Durādi,  
aut quispiam alius huius farinæ asinus, hanc abomi-  
nationem ex eo tueri conetur, quod nō de præsenti,  
sed de futuro, hoc est, de eo, quod post cōsecrationē  
fiūt, panis & uinum loquatur sacerdos, sicuti etiam  
superius attigimus. Etenim uel decē etiam annorum  
puer facilimē ex uerbis iudicare poterit. Sacrificiū  
hic nihil aliud, quā hunc simplicē panem, & solū  
aqua mixtum uinum (quæ quidem ut impiē docent  
relicta utrinque propria substancialia in corporis ac  
sanguinis Christi substancialia omnino post consecra-  
tionē, ut uocant, factā mutantur) denotare, ac per  
consequēs simpliciter panē, ac admixta aqua uinū  
sacrificare, ac pro peccatis offerre. Verum enim  
uerò adeò stupidi, stolidi, ac hebetes sunt, ut id quod  
suis impietibus ex diametro aduersatur non per-  
cipiant, uerum audientes non audiunt, ac uidentes  
non uident.

VI. CANONIS PARS ITA  
se habet,

Qui pridie quam pateretur accepit  
panem in sanctas, ac uenerabiles ma-  
nus suas (*hic sacrificulus hostiam in impuras,*  
*ac sacrilegas manus suas accipit*) eleuatis su-  
is oculis in coelum, ad te Deum, patrem  
suum omnipotentem tibi gratias agens  
bene*dixit, fregit dedit* discipulis su-  
is dicens, Accipite & manducate ex  
hoc omnes, hoc est enim corpus meum.  
His super panem in modum crucis sibilatis, tu uenera-  
bilis sua hostiam ad caput usq; subleuans, omnibus  
qui uel audienda, uel uidenda huius comedie gratia  
intersunt, in pie (etenim tu panem non amplius pa-  
ne, Sed ipsum Deum esse existimant) adorandum ex-  
hibet. Nunc quero a uobis papicole, num Christus,  
eius hic mentione facitis, hanc execrabilis idolola-  
triam instituit? An discipulis pane, quem tunc illis  
dabat, ut adorarent, praecepit? Sed ne sepius idem re-  
petere uideamur, suo loco huiuscce adorationis i-  
dolatria detegemus. Mirum est profecto hos cornu-  
tos non potius pane frangere, ut in eo Christum, quid  
in sua commemoratione fieri praecepit, inuitaretur,  
qua hanc diabolicam orationem instituere. At his,  
quibus illorum fascinatae mentes cognitae sunt, id mi-  
rum (etenim Simiae, siue imitatores sunt Sathanae)  
esse non debet. Hoc tandem transsubstatiato, ut uo-  
cant, Deo aliquantis per abstinentibus adorato, aut  
quatis per sacerdotii libuerit, uel etiam licuerit (huius  
modi

modi enim coelibes, lenones, propter uarias fornicationes, ac assiduas crapulas, Gallica scabie, podagra, aut chiragra adeo infecti esse solent, ut expansionis brachijs Deum suum ostentare diutius nequeant) in altu extenso, tu diligentissime a uenerabili presbytero super altare deponitur. Hoc tamen peractio calicem accipies. Septimam sui actus scenam aggreditur, Simili modo, inquit, posteaquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac uenerabiles manus suas. item tibi gratias agens bene idixit, dedit discipulis suis, dicens, Ac cipite, & bibite ex hoc omnes, hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro uobis, & multis effunditur in remissionem peccatorum, haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. His dictis illico Dominus Iohannes calicem suum eleuat, ac eundem in modum que supra diximus adstantibus adorandum, contra ordinationem, ac in respectu uerborum Christi exhibit. Quid autem suahac (quæ uocant) cōsecrationē sibi uelint, nemini nē latere potest. Nil enim aliud hic sentiunt, quam panem ac uinum, uerborum quæ tunc sibilare solent, virtute, illico sua substantia relicta, in corporis ac sanguinis Christi transformari substancialiter, adeo ut illuc eundem, qui in ligno crucis pèpèderit, adesse firmiter statuant. Verum priusquam progrediamur ulterius, animaduertendum hic erit, huic panis cōsecrationi

creationi uerba quedam Romanum Antichristum  
 addidisse, quorum Euangelistarum nullus meminit,  
 ut sunt **Enim ex hoc omnes.** in consecratio-  
 ne etiam uini adiecit hæc uerba æterni, item my-  
 sterium fidei. Quid igitur missari.e artis defen-  
 sores hic dicent? Asserunt sanè hanc suam consecra-  
 tionem solummodo per uerba Christi fieri: docent  
 præterea istis uerbis, ut addatur uel admatur quic-  
 quam nefas esse, Etenim (inquit) his solis, non au-  
 tem alijs uerbis, consecrandi efficaciam dedit Chri-  
 stus. Quod si ita est, cur rogo adeò audaces, ac pre-  
 sumptuosi extiterūt, ut illis uel unicum uerbum ad-  
 derent? Nonne detestandam arrogantiam dixeris,  
 aduersus id quod Christum instituisse affirmant,  
 tam impudenter niti? Voluit (inquit) Christus so-  
 lis his uerbis, nec minimo etiam adiecto, consecra-  
 tionem fieri. Ad quid igitur aliud recitatis à me  
 prius uerbis adiecere, quam ut aperto marte Chri-  
 stum reprehenderent, ac ipsius institutionem qua-  
 si friuolam ludibrio haberent & crassus ac cucu-  
 latus philosophus Durandus, ut ad hæc respon-  
 deat, se misere torquet. Primum, Apostol.3 banc  
 consecrandi formulam à Christo, Tum Roma-  
 nos Antichristos ab Apostolis accepisse ait. Nec  
 inquit, mirum est hæc uerba non apud Evan-  
 gelistas reperiri, Breuitatis enim gratia mul-  
 ta ab illis præmissa, ab Apostolis tandem sup-  
 pleta fuere. Quod ut probet, exemplum adducit,  
 que Christū post resurrectionē plus quam quinque  
 tis fratribus apparuisse testatur Apostolus, cuius  
 quidem

c. Cuna  
Marthæ.  
de celeb.  
miss.

1 Cor. 15.

quidem apparitionis nullus Euangelistarum un-  
 quam meminerit. Allegat ictius euenire sepi-  
 sum, ut Euangelistarum unus, id quod ab alio omis-  
 sum erat, explicet. Atq; in hunc modum grauter  
 hic disputat Durandus noster. Interea uero affirma-  
 re uolumus, omnia que à Christo acta sint, ab Euan-  
 gelistis scripta esse. nec negamus etiam, id, quod  
 unus Euangelistarum prætermiserat, ab alio quan-  
 dog; suppleri. Non tamē inde sequitur, aliquibus  
 mortalibus, ut Euangelistarum scriptis quicquam  
 adderent, uel detraherent licuisse. Spiritum enim  
 sanctum, qui quidem per Euangelistas & quæ ac  
 apostolos locutus est, nil quod ad nostram salutem  
 cognitu necessariū erat prætermisſe, firmiter no-  
 bis credendū est. Quod si id aliquo pacto licitū fo-  
 ret, attamen secundum papisticam etiam doctrinam  
 (qua his solum uerbis, non autem alijs, hanc trans-  
 substantiandi, ut uocant, vim Christum dedisse do-  
 cent) hac in re Euangelistarum uerbis addere, uel  
 detrahere impili est: Sequitur igitur, quod se impili  
 esse (ut & sūt) uel ipsi fateātur. De eo autem  
 quod Apostolus apparitionem Christi post resurre-  
 ctiōnem affirmat, quandoquidē ex reuelatione di-  
 uina loquitur, non est quod dubitemus. Quod si ei-  
 us, nec Apostolus, nec Euāgelistarū quisquā memi-  
 nisset, quo pacto quæso de eo certiores esse posse-  
 mus: quis itē, ut ita crederemus nobis persuadere?  
 Multa sane ab Euāgelistarū uno prætermissa sci-  
 mus, que alijs suppleat; quod si eius illorum nullus  
 mentionem facret, quis quæso ca de re nos uerita-

tis documēto conuincere posset? Verum Beatus no-  
ster Durandus Ecclesiam id ab apostolorum tradi-  
tione accepiſſe affirmat. At id, inquis uenerāde pa-  
ter: uerum qui ſcis? Vbi nam id expiftatus eſt certe  
ſub tua crassa & foidida cuculla hoc mendacium  
excogitasti: prob miser calceate afſine, tene tante  
authoritatis eſſe existimas, ut tibi in hunc modum  
rugientii credendum ſit? Vide, uide inquam, Afſine,

*2. Cor. 11.* ſi intelligere potes, huius ſacratiſſime Cœne iſti-  
tutionem Corinthios docentem Apoſtolum, illic ſa-  
nè nil quām quod à Domino acceperit docere, nec  
iſtorum in tuo canone additorum uerborum men-  
tionem ullam facere, animaduertere poteris. His  
omnibus perpens, nil aliud ſequitur, quām papi-  
colas Christi iſtitutionem ad consecrandum, ni-  
de ſuo aliquid addidiffent, nullius penitus efficacie  
fore existimasse. Sed hoc unicum tantum quæro,  
quandoquidem huic ſuę (ut uocant) consecrationi  
memorata uerba tam impudenter addere auſi ſunt,

*Luc. 12.* cur in consecratione panis à Christo prolatu uer-  
*Cotin. 11.* b4, nempe: Quod pro uobis datur, aut  
quod pro uobis tradetur, pretermi-  
tunt? In uini quidem consecratione quamuis ad-  
dant, attamen nil detrahunt. At quandoquidem cor-  
pus non minus pro peccatis nostris traditum eſt,  
quām ſanguis pro nobis effuſus, ad quid rogo illi  
potius, quām huic derogare noluere? Sed in eo ne-  
bulonum iſtorum ſtultitiam, aut execrabilis, ac om-  
nino desperatæ impudentiæ coniunctam malitiām,  
quilibet uidere potest.

Quod

Quod uero rerum substantiam uerborum aliqua uis, ac uirtus immutet, nec rationibus multo minus sacris literis unquam probabunt. Attamen incantatores, ac uenefici missarij, ut id nobis persuadeant, totus nituntur uiribus. Interea uero adeo in huiuscem confectionis uocabulo significatione diuerjarum sententiarum sunt, ut que missis ipsorum interest misella plebs. quando frustum hoc panis, ac uini poculum in substantiam corporis & sanguinis Christi transisse credendum sit, penitus ignoret. Etenim sententiarum magister lib. quarto, haereticum nullo modo consecrare posse affirmat, tenet que in confectione, consecrantis intentionem omnino requiri. Sed quis rogo, de consecrantis fide, ac intentione certior esse poterit? Nemo sane. Nam id in conscientia, cuiusquidem Deus solus scrutator est, consistit. Relinquitur ergo, omnes, qui missæ inter sunt, quandoquidem de missatoris conscientia non sunt certi, de confectione etiam addubitare, ac (quoniam panem in Deum, ac uinum in sanguinem eius transubstantiatum, ut uocant, esse adhuc ignorant) simplicem panem, & uinum idololatrice adorare.

Porro quanquam missarij aduocati de confectionis uocabulo uarie garriant: attamen haec sententia obtinuit, ut unius substantiae in alteram transmutatio diceretur. Sed ad hanc tam egregiam scilicet interpretationem probandam, Magi, incantatores, ac reliqui huius fortis ac farinæ uenefici, maximo adiumento erunt. Sicuti enim uer-

bis aliquot, ac signis ( quibusquidem admiratione dignas transmutationes fieri putant homines ) in suis incantationibus uti consueverunt : ita et sacrificulus his uerbis, ac signis consecrare, hoc est, panis ac uini, in corporis ac sanguinis Christi substantiam transformare se putat.

Nos uero execrabilibus horum Afinorum remotis nugis, sacræ scripturæ authoritate rem quampiam consecratam dicimus, quæ rei sacræ dedicata est, quæ quidem in aliam non mutatur substantiam. Sed ( excepto quod sacris usibus, quibus prius dicata non fuerat, destinata est ) eadem manent. Sic domum Deo consecratam dicimus, quæ sacris usibus, utputa prædicationi uerbi Dei, administrationi Sacramentorum, ac publicis faciendis precibus dedicata est. Sic etiam Christiani omnes Deo consecrati dicuntur, qui diuino cultui dediti sunt. Verè etenim sunt templum Dei, in quibus cum Sancto spiritu Deus inhabitat, testante id pluribus in locis Apostolo. Ex quo sequitur consecrationis uocabulum, eam de qua tam impie fabulantur, transsubstantiationem minimè significare. Ac ne hæc ex nostro penu processisse dicant aduersarij, hoc sane consecrationis uocabu-

**1. Corint. 4.**

**2. Corint. 2.**

**Ephel. 2.**

**Exod. 13. 29.**

**Num. 6.**

**Leui. 27.**

lo in nostram sententiam uitetur passim Moses, uarijsq; in locis, in quibus sane prophanatica illa substantia in alteram substantiam transmutatione acceptum nunquam repieres. Omne, inquit, quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non ueniet, nec redimi poterit.

**Item.**

Item, Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum  
 Sanctorum erit Domino. His Romane Antichri-  
 ste, nos istam huius uocabuli, sicuti tui assecle, sig-  
 nificationem non exlegitasse, Sed ex sacrarum li-  
 terarum fontibus hausisse, si modo in fronte oculos  
 habes, aperte uidere potes. Consecrare ergo si-  
 cuti suprà diximus, nil aliud est, quārem aliquam,  
 sancto ac sacro usui deputare, ac dedicare : ita eti-  
 am consecrationis uocabulum in pane & uino acci-  
 piendum est, non quòd uerborum ui in aliam sub-  
 stantiam transmutetur, uerùm quòd sacris usibus  
 (etenim Christum corpus pro nobis dedisse, ac san-  
 guinem suum pro peccatis nostris in cruce effudis-  
 se, certò nobis assignant, ac passionis mortisq; eius  
 cōmemorationem, ut agamus, nos admonent) deuo-  
 ueantur, deputentur, ac dedicētur. In huius uoca-  
 buli explicatione quibusdam fortè paulò prolixior  
 fuisse uideri possem, uerùm res ipsa, non omnibus  
 satis perspecta, id postulabat. Reiecta igitur Sorbo-  
 nica, ac magica transubstantiatione, fatemur qui-  
 dem in coena Domini panem ac uinum suas substancias  
 retinere, meraq; Symbola corporis ac sanguinis  
 Domini nostri Iesu Christi esse, interim tamen  
 cum his symbolis rem significatam, hoc est, Verum Lue. 22.  
 corpus, ac sanguinem Christi dari sumētibus, Chri- 1. Cor. 11.  
 sti uerbis freti, qui inquit, Hoc est corpus meum,  
 hoc facile in mei cōmemorationem: frimenter absq;  
 ullo dubio, ac scrupulo, contra omnia Romanae cu-  
 rie artificum deliria tenemus, ac credimus.

## III. SECTIO PARTIS II.

**H**ec huius secundæ partis sectio tertia, ostendit uam canonis scenam nobis explicandam exhibet, unde et Memores, inquit, nos tui serui, sed & plebs tua sancta Christi filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cœlos gloriose ascensionis offerimus præclaræ maiestati tuæ de donis ac datis tuis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, patrem sanctum uitæ æternæ, ac calicem salutis perpetuæ.

**Q**uis hoc sacrilegium arum aduertens non perhorrescat? quis hanc in saluatorem nostrum contumeliam audiens, non contremiscat? latro nempe missarius, hoc loco se unda cum miseris, suæ abominatione adstantibus idololatricis, hanc hostiam, huic eis suo more consecratur calicem, hoc est, patrem ac uinum in corporis ac sanguinis Christi iustitiam, ut uocat, transsubstantiatum. Deo patri pro remissione peccatorum sacrificare, immolare, ac per consequens denuo occidere impudenter affirmat. **Q**uis igitur hanc abominationem non exercetur? **Q**uis inquam mortaliū non plane insanus hanc impietatem nō exhorreat? Vbi loci inquam in sacris lueris reperies ociosis istis nebulonibus id officij concessum esse, ut Deo patri corpus ac sanguinem Christi sacrificet: nullibi sane id mortalibus datū esse in sacris lueris legitur. **Q**ui sit ergo ut hi carnifices id si

bitam

bī tā impudēter arrogant? Christus profectō ipse, ac  
 Paulus electionis uas, huius oblationis ac sacrificij  
 in cruce pro nostris peccatis oblati, ut diligētē me  
 moriā agamus nos admonēt quidem, quamobrem  
 etiā sacrosanctū coenæ Domini sacramentū institu-  
 tum est. Quod autem Deo patri filij sui Iesu Christi  
 corpus, ac sanguinē offeramus, ac sacrificemus, nul-  
 lum de eo Christi extat mā datum, nec Apostolorum  
 ullus eius rei unquā meminit. Est et alia in hac  
 oīa canonis parte plusquā infernalis, quā Sa-  
 tan etiā proferre erubesceret, abominatio. In hunc  
 enim modum impuro gutture ructare pergit missa-  
 tor. Supra quæ (panem ac uirum sua arte con-  
 secati, ac, ut uocant, in corpus ac sanguinem Chri-  
 sti transsubstantiatum intellige) propitio. ac  
 sereno uultu respicere digneris, & ac-  
 cepta habere, sicuti accepta habere  
 dignatus es munera ueri tui iusti A-  
 bel, & sacrificium patriarchæ nostri  
 Abrahæ, & quod tibi obtulit sacer-  
 dos tuus Melchisedech sanctū sacri-  
 cium immaculatam hostiam. O mitissime  
 Deus, quo usq; tandem multas feres tā horrēdas in  
 hū tuū blasphemias? An non semel tantas tibi irro-  
 gatas contumelias vindicabis? ut autem hanc mis-  
 satoris precatiunculam ad amissim examinemus,  
 eius cum sequenti compilatores, aut Christum in  
 hoc pane ac calice existere essentialiter non credi-  
 disse oportet, aut credidisse: quod si non credide-  
 rint, tum secundum papalem doctrinam ( que

quidem Christum illic realiter missæ sicuti pепen-  
dit in ligno crucis, tradit ) pro hereticis habendi  
sunt. Si uero crediderint , de salvatore nostro tum  
ignominiose loqui, plusquam diabolica blasphemia  
est. Quam enim apud Deum execrabilem magis  
impietatem excogitare potuere? Adeone insani,  
dementati, ac à diabolo excaecati sunt, ut inter cor-  
pus & sanguinem filij Dei( quem quidem essentia-  
liter illic esse non dubitat) ac mortaliū hominum  
sacrificia, nūl differentiae statuant? Quasi uero ô  
miseri, Christus filius Dei dilectus, in quo sibi bene  
complacitum est, supra memoratorum hominum sa-  
crificijs, ac ab oblationibus Deo patri non multo  
fit acceptior, ô impostura, ô abominatione, ô mortali-  
bus omnibus detestanda blasphemia. Siccine nefarij  
carnifex, insensati estis, ut hoc sacrosanctum sal-  
uatoris nostri, pro totius mundi peccatis sacrifici-  
um, his quæ ex brutis animalibus fieri solebant ho-  
ocaustis comparare: imò uerius post ponere ausi  
sitis? An corpus & sanguinem Christi ( siquidem  
diabolice uestræ incantationis ui, hæc præsentia  
sisti, transubstantiatio pane & uino asseritis) Deo  
non magis acceptum, quam hircorum alio nomine  
animalium immolationem esse existimatis? prob  
miseri, adeone satanas uos fascinavit, ut hanc im-  
pietatem non animaduertatis?

Hæc sunt scilicet mysteria, quæ tantis laboribus  
se, in huius reuerendi Canonis explicacione enoda-  
turū pollicitus est impurus iste ac ebriosus Sorbo-  
niſta Durandus, quem quidem laborem si iacta-  
re au-

re audet, tum ē diuerso, qua fide huius abominationis imposturas, execrationes, blasphemias, sacrilegia, incantationes, idololatrias, ac Deo hominibus detestandas impietas omnibus ob oculos posuerim, quilibet perpendat. Quod qui fecerit, quid inde aduersus hanc pestem antydoti habiturus sit, ipse iudicet. At forte argutulus inter sorbonistas quissiam, sacrilegium hoc excusare cupiens, Imò, inquiet, in hac preicatione rogamus quidem, ut corporis & sanguinis Christi sacrificium æquè gratum sit Deo, atq; sacrificium Abel, Abrahæ, &c. sed non perse quidem, uerū per accidens, hoc est, pronobis. Hoc tamen adhuc sophismate miser evadere non poterit, quim maximo absurdo implicantur: per se quidem corporis & sanguinis Domini hostia Deo accepta ut fiat, precari, nilq; facere inter hanc, ac animalium hostias discriminis: quā horūdum sit ac impium, nemo non uidet. Per accidens autē, hoc est, pro nostris peccatis id ut fiat, petere, quātū diabolicæ arrogatiæ cōtineat ac temeritatis, omnibus patet. Relinquitur ergo Romanensis quo diffugere uelit, bac sua preicatione in maximas impietas, ac ineuitabiles absurditates incurere, corpus sane ac sanguis Christi maioris sunt apud Deū efficaciæ, quam ut adeò prophane, tum arroganter sacrificijs, Abel, Abrahæ ac Melchæ sedech, ab istis nebulonibus comparari debeant. Scimus enim, saluatorem nostrum per sui corporis ac sanguinis in cruce semel factam oblationem, peccatorum remissionem nobis impetrasse,

nos redemisse, gratiam item, iusticiam, ac uitam  
 æternam nobis acquisuisse. Sacrificia autem legis  
 nil altud fuisse, quam umbram sacrificij pro pec-  
 catis totius mundi per Christum semel peracti(nec  
 que enim peccatum delere, ac salutem hominibus ad-  
 ferre poterant) nemo nescit. Quàm igitur impie  
 agant papistæ, dum( quandoquidem in suo isto sa-  
 crificio corporis, ac sanguinis Domini presenti-  
 am credunt, ac ipsissimum corpus Christi se sacri-  
 ficare existimant) corporis, ac sanguinis Domini  
 hostiam, ut uocant, & què ac has legis oblationes  
 Deo acceptam fieri precantur, nemo sanæ mentis  
 non uiderit. Quòd si puram creaturam Deo of-  
 ferrent, hæc oratio tolerabilior fortassis esse pos-  
 set, sed cùm in hæc sua execrabilis missa se Christum  
 Dei filium patri offerre falso iactitant, quin hæc  
 oratio abominationibus, ac execrādis detestandis  
 q; blasphemis undiq; sit referta, nemini dubium  
 esse potest. Sub hac etiam detestanda oratione,  
 alia quoq; euident latet impostura: sunt enim adeò  
 insensati missatores, ut coram Deo patre se com-  
 parare, ac pro saluatore nostro Iesu Christo (quem  
 quidem frusto panis includi sibi persuadent) inter-  
 cedere hic impudenter afferant. Sed quis hanc ho-  
 rum lenonum effrenatam rabiem animaduertens,  
 totus non contremiscat: pro eo etenim, qui ipsa in-  
 Rom. 5 nocentia, mundi salus, ac totius iustitiae fons est  
 origo, quiq; assidue pro nobis intercedit, interce-  
 dere uelle, nonne summa arrogantia ac temeritas,  
 imò potius demētia est? Ex illo enim omne bonum,  
 uirtus

virtutem, gratiam, ac perfectionem procedere, ac  
per ipsum solum accessum homines ad patrem ha-  
bere, omnesq; mortales absq; fide m ipsum coram  
Deo abominabiles esse, nemo dubitat: pro tanto i-  
gitur, tanq; excellenti, ac perfecto principe, hos in  
sua missa nebulones intercedere, si quis intellexe-  
rit, nonne illos insanire penitus iudicabit? Quia  
propter pios leciores hortatos esse uolo, ut uel hu-  
ius in primis precatiunculae impietates (quibusqui-  
dem animas in æternam perditionem præcipuari  
certum est) diligenter animaduertant.

### III. SECTIO PARTIS II.

**C**anonis scena nona non minus impia quam  
præcedens orationē continet. Supplices  
terogamus, inquit missator, omnipo-  
tēs deus, iube hæc (hāc suā hostiā intelligi)  
perferri per manus angelī tui in sub-  
lime altare tuū in conspectu diuinæ  
majestatis tuæ, ut quotquot ex hac al-  
taris (hic deosculatur altare, quod quidē Duran-  
dus lib. 4.c. 44. ob id fieri dicit quod inde osculum  
traditoris, Iudea repræsetetur (participatione  
sacrosancti filij tui corpus & sangu-  
inem sumperimus. omni benedicti  
one, hic seipsum crucis signaculo signat in fronte  
sacrificulus cœlesti. et gratia repleamur  
per eūdem Christū Dominū nostrū.

Nunc ad huius orationis explicationem acce-  
damus. Principio igitur sciendum est, contempla-  
tiuum magistrum nostrum Durandum in horum

uerborum (iube hæc perferri per manus  
**Angeli tui in sublime altare tuum)** ex-  
 plicatione grauiter admodum philosophari, dū af-  
 firmat illa tam profunda mysteria continere, ad  
 quorum intelligentiam humanum ingenium pe-  
 netrare nequeat: id quod declarare uolens, Grego-  
 rium allegat: uerum quia Gregorij deliramentum  
 illi non usque adeò arridet, in alias horum uerbo-  
 rum æquè absurdas interpretationes se ipsum pre-  
 cipitat. Principio enim uocabulum hæc, hoc est,  
 has res non de corpore & sanguine Christi, sed  
 fideliū precibus, quæ ab angelis ad Deum perferan-  
 tur intelligi debere afferit. Secundum æquè absur-  
 dum subiungit, quod quandoquidem etiam illi non  
 satisfacit, tandem in magis ridiculum, imò impium  
 delabitur. Possunt inquit, tertio præmissa uerba sic  
 exponi, Iube hæc, id est, corpus Christi mysti-  
 cum, scilicet Ecclesiam Christi militantem perfer-  
 ri, id est associari, in sublime altare tuum,  
 hoc est Ecclesiæ triumphanti, per manus an-  
 geli tui, hoc est, per operationem ac uirtutem  
 Isa. 9. Christi filij tui, qui est magni consilij angelus.  
 Quartam eiusmodi in medium adducit, quam qui-  
 dem ne huius Asini recitandis ineptijs lectoribus  
 molestus sim, lubens prætero. In hac sanè preca-  
 tione uidere est, illos qui contra conscientiam ma-  
 lam fouent causam, iudicio Dei adeò stupidos ac  
 hebetes reddi, ut in talia, quæ etiam pueris risum  
 mouere possint, absurdâ seipso precipitent. Ve-  
 nerabilis enim magister asinus Durandus inter  
 subit

Subtilissimos acutissimosq; papisticæ scholæ philosophos, Sorbonistarum omnium testimonio primas tenent, tam pueriliter, tam absurdè, tamq; ridiculè, ac circa omnem rationem hic loquitur, ut uere asinum ad lyram fuisse, dicere possis. Mihi sanè hoc loco, quum missator de pane ac uino consecrato, inq; (ut obtineantur) corporis ac sanguinis Domini substantiam transmutat, ac seipso Dei filio hanc suam precatiunculam proferat, nemo unquam persuadebit. Quid uero de orationibus ac supplicationibus populi, mystico itē Christi corpore loquatur, nil ad rem facit, cum eius nullam in precedenti preicatione fecerit mentionem. Quo pacto enim fieri potest, ut demonstratum pronomen hæc, ad ea referatur, de quibus nullus prius sermo habitus est? hoc igitur absq; dubio sentit in hac sua oratione (dummodo intelligat) missator, precatur enim hanc suam hostiam, suumq; consecratum, immò potius incantatum uinum, in subline altare, hoc est, cœlum ante faciem Dei per angelos perferriri, ac præsentari. Sed hec orare, que rogo dementia est? An non saluator noster sua ipsius (ut ita dicam) natura ad dexteram Dei patris sedet? Quid cedo, ut ante faciem patris ab angelis deferatur, opus est? Num insulſe asine, articulum fidei, quo Christum sedere ad dextram Dei patris credimus, oblitus est.

Rom. 8.  
Eph. 1.  
I. Pet. 3.  
Act. 7.

Heb. 10.  
Psal. 110.

Christus sanè in sempiternum sedet ad dextram patris, donec ponantur inimici eius scabellum pedum illius. Iam consydera rogo, quisquis puriorcm

puriorem doctrinam amplecteris, quam uanis ac  
fruolis argumentis miseri istam suam, imo pottus  
infernalem tueri conentur opinionem. Animaduer-  
te queso inter alia, quod huic panī ac uino Christū  
stūm inuisibiliter messe contendunt. adeò ut alter-  
rum ab altero separari nō possit. Quod si ita esset,  
nonne etiam ab angelis panem ac uinum in cœlum  
deserri (ridiculum dictu) ac ante faciem Dei presen-  
tari oporteret? sed quid in huius asini ineptijs diu-  
tius immoror? ad actus nostri scenam decimam acce-  
damus. Decimæ canonis parti, memēto, quod  
quidē pro defunctis dici cōsueuit, tribuitur. In hunc  
autē modum sonat, Memento etiam Domi-  
ne, famulorum, famularumque tua-  
rum, qui nos præcesserunt cum signo  
fidei, & dormiunt in somno pacis.  
Hic uenerabilis admotis faciei manibus, illuc ob-  
mutescit, actum de quibusdā defunctis somniat, lau-  
demq; ex abrupto in hæc uerba prorumpit Ipsis  
Domine, & omnibus in Christo qui  
escentibus locum refrigerij, lucis &  
pacis, ut indulgeas, deprecamur  
per eundem Christum Dominū no-  
strū. Videamus in primis quid hic Durādus noster  
philosophet. Hic enim pro suo in arte missaria cap-  
tu, rē (quod dicitur) acu tetigi creditur, inquit, Do-  
minico die ob resurrectionē Christi animas quiesce-  
re. Beatus iste magister noster, ni fallor sicut, eo die  
à purgatorijs poenis quiescere quidem animas, alijs  
merò diebus torqueri. Sed, rogo, uenerabilis bestia  
cur

cur non potius Veneris die, quo quidem Christum,  
 ut nos à poenis inferni liberaret, ac redimeret, pas-  
 sus est, hunc animabus requiem concedis? Cum item  
 in Christiana Ecclesia nullus apud viuos sit dierum  
 delectus, quis, te rogo, docuit, ut apud defunctos  
 hanc dierum differentiæ superstitionem locum ha-  
 beret tam tam impudenter afferas? Verum huiusmo-  
 di relictus ineptijs, quid ulterius contineat hæc læ-  
 pida petitio uideamus. Sacrificulus primo de-  
 functos, quorum memoriam agit, in somno pacis  
 dormire, ac in Christo quiescere inquit, nihilomi-  
 nus tamen locum refrigerij, lucis & panis illis con-  
 cedi precatur. Sed quæ, rogo, hæc ineptia est? Si  
 enim mortui in somno pacis dormiunt, ac requies-  
 cunt in Christo, An non locū pacis ut habeant, o-  
 portet & quæ sanè erit si dicas Dormire in pace, ac  
 habere locum refrigerij. illos igitur, qui in pace  
 dormiunt ut locum pacis habeant petere, ineptum  
 est. Quòd si animas in purgatorio torqueri opor-  
 tet, nonne dolorem sentire necesse est? si uero do-  
 loribus afficiuntur, quo pacto, rogo quiescant?  
 At sorbonista quissiam hoc tam euidentis Con-  
 trarium effugere cupiens, Imò inquiet, cum de-  
 functos dormire dicimus, id de corpore non autem  
 de anima intelligimus. fingamus id uerum esse, num  
 propterea quòd corpus dormit, illud etiam pa-  
 ce ac quiete frui dicendum est? Ratio sanè non  
 patitur, ut quicquam quiete frui dicatur, quod la-  
 boribus & inquietudini obnoxium esse nequit.  
 Quale igitur illud est, si dicas aliquid quiescere ea

Gal. 4.  
Colo. 2.

parte

parte, qua omni sensu caret, ea uero qua uerè sentit  
 ac uidit, tormentis ac pœnis affligitur. Nam hic quam  
 argutè philosophetur Sorbonistæ, facile colligi po-  
 test. Beati (inquit Ioannes) qui in Domino moriu-  
 tur. Imo, inquit, spiritus, ut requiescant à laborib us  
 suis. Quis rogo dixerit, Ioannem hic de defuncto-  
 rum corporum requie, non autem animarū loqui.  
 Quid si de corporum mortuorum requie hic lo-  
 quitur, quid quæro in supremo iudicio prærogati-  
 né habebunt fidelium corpora, ab infidelium ac re-  
 probatorum corporibus? Inter illa enim, quod ad  
 hanc quidem attinet, nullum discriminem est, quiescunt  
 enim (ut ita loquar) æqualiter. At inter defunctos fi-  
 deles ac infideles, Ioannes hoc loco magnam diffe-  
 rentiam statuit. Mortuos enim in Domino felices,  
 & beatos esse pronunciat. Sed qua de causa? Requi-  
 escant enim à suis laboribus, ac in pace tranquilli-  
 tateq; Dominum expectant. An non à cōtrario cui  
 denter docet, infideles à laboribus non quiescere,  
 uerūm perpetuis pœnis ac laboribus torqueri, ac  
 affligi? Ex quibus sane, sole clarius est, defunctorum  
 in Domino requiem, non de corpore, sed anima in-  
 telligi debere. Quanquam uero hic de impietà-  
 te huius, quod pro defunctis orant, differendi nobis  
 offeratur occasio: id tamen (ad undecimam nunc,  
 ac ultimam huius infernalis Canonis scenam trans-  
 euntes) suo loco reseruabimus. Nobis quo-  
 que, inquit, peccatoribus famulis tuis  
 de multitudine miserationum tua-  
 rum speratibus partem aliquam & so-  
 cietatem

cietatem digneris donare cū tuis sanctis Apostolis & martyribus, cum Ioanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agneta, Cecilia, Anastasia, & cū omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortiū nō æstimator meriti, sed ueniae quæsumus largitor admitte, per Christū Dominū nostrū. Hęc omnia passione aliori proferuntur, nimurū ut hypocrita ab adversariis audiri possit. Hinc sacrificulus tanquam ali cuius facroris sibi cōscius pectus percutit: quoquidem gestu (inquieto Philosopho nostro Durando) latronis in cruce pendentis contritionem, sicut et cūm altare deosculatur, Iudee osculum: ac dum manus abluit, Pilati manuum lotionem (egregium scilicet, ac tabi carnifice dignum officium) representat. Tum quandoquidem (inquit ulterius magister ille noster) huic actui Angeli præsentes sunt, ac Sacerdoti administrare dicuntur, Amen ut respondeatur, non est necesse. Alias et quæ pro suo in Missaria arte captu graues eius rationes adducit, quas hic lubēs prætereo. Sed interea quid energie habeat hęc oratio discutiamus. Si enim ob angelorum tum præsentia hic non respondeatur Amen. Sequitur sane per totam missam (quod angeli illi semper, ut docent Romanenses, adfint) nunquam responderi debere. Magister Durādus ulterius speculatur, Q[uod] cur hoc loco Stephanus Ioāne, Mathia ac Barna

ba comitatus inuocetur. Item cur hic Ioannis non autem aliorū Apostolorū mentio fiat, rationē redit. Sed si huius Asini inepijs diutius immorarer, nullus unquam finis esset. Vel nunc qua audacia ac temeritate hunc suum Canonem tantis laudibus pa-  
pisticæ sectæ propugnacula efferat, uidere est. Tan-  
tis enim superstitionibus, impietibus, nequitijis, ab-  
ominationibus, imposturis, ueneficijs, sacrilegijs,  
inq; Deum, ac Christum eius execrabilibus con-  
uicijs, ac blasphemijis refertus est, ut si quoquomodo  
scortum hoc mis̄a scilicet cōmendare uelint, prius  
hæc putida intesta ( quæ quidē, ut diximus, cœ-  
lum & terrā inficere, ac suo factore corrumpere  
poſſent ) uelut ē uētre illius ejſtēda ſint. Sed quæ  
rat aliquis, cur hic Ignatijs Alexātri, Marcellini, ac  
aliorum fiat mētio: de Frācisco interea, Benedicto,  
Thoma Aquinēſi, Brigida, Typhonida, ac alijs de pa-  
pistica ſecta æquè bene meritis, nullū uerbū. Hic  
cerē conabūtur rationē ſine ratione reddere. Fran-  
ciscanæ tamen ſectæ aliquot extitisse, qui papas  
ut franciscum hic infarcire illis liceret, ſepiuſ ſoli-  
itarunt, legitur: uerum id propterea illis denega-  
tum eſſe aiunt, quod Benediſſini, Jacobite, Augu-  
ſtianī, totaque monachorum, ac monacharum  
colluicies, id ſibi honoris impertiri etiam uellent,  
timendum erat. Sed hæc breuibus, ut locus po-  
ſtulabat, atugisse non abs re mihi eſſe uifum eſt.

Sequitur in hac eadē ultima Canbis parte, Per  
quem hæc omnia Domine ſemper  
bona creas, ſanctificas, benedictis &  
præſtas

præstas nobis. Hic Dominus Ioannes impans  
tum suum Deū intra unctos digitos sumit, ac tādem  
subiicit, per ipsum, & cum ipso, & in  
ipso, sit tibi Deo patrī omnipotenti  
in unitate spiritus sancti Deus om-  
nis honor & gloria. Tādem sursum ac deor-  
sum subleuato, acremiso Deo suo casum fortē imi-  
tatus, qui eum in modum capto mure aliquantissim  
ludens, tandem illum deuorat ) illoq; in tres par-  
tes disrupto, illum tandem solus deglutit. Horum  
omnium uenerabilis noster Durandus, uarias, ac  
suo more, absurdas, ac fabulosas reddit rationes,  
quas hic tādij uitandi gratia prætermittere consul-  
tus mihi uisum est, quām plura de eius inceptijs  
uerba facere.

### ANATOMIÆ PARS III.

QVÆ QVIDEM A FINE CA-  
nonis sumitur usque ad finem Missæ, estq;  
in quatuor Sectiones diuisa.

#### SECTIO PRIMA.

 Oc tā egregio scilicet canonis actu  
finito, tū uenerabilis parrochus, al-  
tiori uoce, quasi quidpiā laude dig-  
num egisset, alacri animo binnire in  
cipit, per omnia secula secu-  
lorum, cui respondetur, Amen. atq; haec qua-  
tuor uerba præcedentibus à se submissè murmurata-  
tis subnectit, nempe per ipsum & cum ipso  
& in ipso. Iam ab illis qui uoluere uerba hæc,  
per omnia, altiori rugiri uoce, illiq; Amen.

respondere uelint, quandoquidem nihil eorum,  
 quæ id præcesserunt, uel auditum, uel intellectum  
 sit? Quo pacto (inquam) is qui quid actum dictum-  
 ue sit, non percepit, assentiri potest? Quid enim  
 Amen, aliud est, quād quod ita fiat, ut rogatum  
 est? Quomodo autem rite precari quis poterit, ut  
 hoc uel illud ita fiat, si quid petitum sit, nesciatur.  
 Psitacus sane idem facere, aut pica posset? Sed si  
 nil hic aliud inesset mali, hoc sane plus satis erat.  
 Verum multa deteriora etiam hic continentur.  
 Sæpius enim hactenus ostendimus, que cunque mi-  
 ser iste hucusque euomuit, nil aliud quām meras  
 in Deum blasphemias, ac in saluatorem nostrum  
 execranda conuitia esse. At hic, qui huic abomi-  
 nationi intersunt omnes, tam immani facinoris  
 consciens esse, uel inde apparent, quod ad ea omnia  
 Amen, respondeant, ac per consequens eiusmodi  
 impietatibus simul subscriptibant. Sed quempiam ad  
 ea, quorum nescius est (forte enim carnifex iste  
 missarius, quando benedicere putatur, maledicit.)  
 Amen respondere, summa est dementia. Quo pa-  
 ctō (inquit Apostolus, primæ Corinth. capite deci-  
 moquarto) quis Amen, ad tuam benedictionem di-  
 cet, quandoquidem quid dixeris, nescit? At hac  
 tam aperta Pauli sententia, omni etiam ratione  
 reiecta, nebulones isti non solum homines delu-  
 dunt, sed etiam expresso Dei uerbo, quasi ex pro-  
 fesso reluctantur. Sed nonne à Sathanâ fascinatos,  
 ac penitus obcæcatos esse uidimus, ut quid hic abu-  
 sus ac impietatis lateat non animaduertant? Non-

ne uel inde quantum salus illis curæ sit, facile' per-  
spici potest. Quis rogo, unquam sanæ mentis quic-  
quam probauerit, quod non intelligat prius? At  
præter omnem rationem miseri isti ad Afini cu-  
iuspiam ruditum, sine omni delectu, Amen, re-  
spondent, ac non intellectis, nec etiam auditis con-  
sentunt: uerum huiusmodi impietates, ac absur-  
ditates propter peccata nostra regnare oportuit.  
Quod si is qui hæc ita submisæ ante suum hoc,  
Per omnia secula seculorum, balbutit.  
Si modò quid legat, intelligere potest. Sunt enim  
sacrificuli plerunque in re culimaria, quam alijs ar-  
tibus magis exercitati, ac raro Latine sciunt) so-  
lus Amen, responderet, fortassis non tantum  
abominationis illic messe dici posset. At quando-  
quidem id subticet, aliosq; qui nec quid murmu-  
rari, audire multo minus intelligere potuerunt,  
ut Amen, respondeant, suisq; blasphemis con-  
sentunt, prouocat, quanta illic quamq; execra-  
da, nec detestanda blasphemia in Deum ac saluato  
rem nostrum perpetretur, quis non uidet?

Nunc quid hoc egregium Amen, sequatur,  
uideamus: hic illico uenerandus Missæ magister,  
altiori uoce clamare incipit, Oremus Præ-  
ceptis salutaribus moniti, ac Diuina  
institutione formati, audemus dice-  
re, Pater noster, qui es in cœlis, sancti  
ficitur nomen, &c. Hoc loco sicuti uenera-  
bilis asinus Durandus per totam hanc missæ comœ-  
dia philosophatus est, ita & huic precatio[n]es suas,

etiam ineptias inserere non abstinuit: hanc igitur orationem diuidit in septem partes, quas quidem, sicuti somniat, septem à Christo prolata in cruce uerba, uel totidem etiam, quæ beata Virgo dixisse de Christo legitur, denotare ait. Tum demum has partes ad septem uirtutes, septem item spiritus sancti dona, ac septem beatitudines refert. Tandem ad uersus septem peccata mortalia dici debere afferit. Interim tamen philosophum hic septem planetas, septem stellas, septem horas canonicas, septem psalmos pœnitentiales, septem liberales artes, ac etiam (quod maius est) septem diuae virginis gaudia prætermisso mirandum est. Hoc igitur pacto exercitatiſſimus hic noster Arithmeticus, orationem dominicam difſecat. Verum hanc ſex ſolum in ſe contiene repetitiones certum eſt. Etenim Euangelista, inquietus, Et ne nos inducas in tentationē, ſed liberanos à malo. hæc duo membra inter ſe adeò connectit, ut non niſi unica petitio fit dicenda. Sensus enim eſt, ne temptationibus nos uinci permittas, ſed multò magis fragilitati noſtræ ſuccurre, ac libera nos, ne forte ſuccubamus. Atq; huic expositiōni ueteres etiam ecclesiæ doctores assentiuntur. Sed si quis illos qui miſſis interſunt, imitari, hoc eſt oleum ac operam perdere uolens, domini Durandi Irrationale diuinorum legerit, illuc ſanè omnium impietatum, ac errorum ſentinam reperiet. Pater noster decantato, libera nos, quæſumus Domine (inquit uenerabilis pater) ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemper Virgine

Virgine Dei genitricē Maria, & beatis Apostolis  
 tuis Petro & Paulo, atq; Andrea, cum omnibus  
 sanctis, da propitiū pacem in diebus nostris, ut  
 ope misericordiæ tuae adiutrice, à peccatis simus  
 semper liberi, & ab omni perturbatione securi,  
 Per eundem Christum dominum nostrum, qui te-  
 cum uiuit & regnat in unitate spiritus Sancti.  
 Hæc etiam submissus balbutit Sacrificulus, ac tan-  
 dem aliquantis per filiet, quo quidem silentio, sab-  
 batum, quo in sepulchro iacuit Christus (propter-  
 ea quod tanc nullus fidem prædicauerit) signifi-  
 cari, umbrarum adumbrator Durandus hic ima-  
 ginatur, alias etiam huius rei adducit ineptias, quas  
 hic prætero. Tum demum missarius philosophus  
 in suo sine ratione Rationali inhorrendam blasphemiam  
 incidit: Et quia (inquit) indigni sumus ueniā  
 de præteritis, præsentibus & futuris malis prome-  
 teri, nisi nobis donetur, oratione beatæ Virginis,  
 ac beatorum Petri & Pauli atq; Andreae, & aliorū  
 Sanctorum: ideo hic eos in nostrum patrociniū in-  
 uocamus. Sed quæso, cuius intercessione, quoq; me  
 diatore, Petro, Paulo, alijsq; remissa sunt peccata?  
 Neminem unquam mortalium in terris (Christo a-  
 gno immaculato excepto) extitisse, qui aliqua pec-  
 cati labi infestus non fuerit, certum est. Per primi  
 enim parentis lapsum filij iræ nascimur? Quis igit-  
 tur à peccato immunis esse poterit? Nemo sane. Om-  
 nes enim peccauerunt, & egent gratia Dei: per me-  
 diatorem, intellige unicum Iesum Christum. Ex quo  
 sancti quam horrenda sit hæc blasphemia, facile ap-

Psal. 13. 51. 53

Rom. 2

1 Ioan. 3

paret. Nam ubi loci in sacris literis nos peccatorū  
 remissionem sanctorum intercessione consequi, le-  
 gitur? An non, qui peccata alio pacto, quam medi-  
 ante Christo remitti opinantur, insaniunt? **Quis un-**  
**Rom. 8.**  
**1. Heb. 1.**  
**Tim. 2. &c. 9.**  
**Esa. 53.**  
 quam certi de remissione peccatorum citra uer-  
 bum Dei aliquid statuere poterit? Nobis sanè per  
 solam intercessionem Iesu Christi peccata remitti,  
 illumq; mediatorem, aduocatum, ac intercessorem  
 apud Deum pro nobis esse, sacris literis abunde do-  
 cemur. Nec Scriptura nos aliò remittit, nihilomi-  
 nus tamen deceptores isti, ac falsarij id impudenter  
 sanctis demortuis tribuunt. Sed quero à te uene-  
 rande pater, quo mediante, super memoratis san-  
 ctis (etenim cum homines fuerint, peccato obno-  
 xios fuisse certum est) peccata remissa sunt? Si sa-  
 né respondere uelis, mediante solo Christo id con-  
 secutos fuisse (ni apertis Scripturæ locis impuden-  
 ter contradicere uolueris) fatearis necesse est. Ad  
 quid igitur tantæ dementiæ est, ut in remissionis  
 peccatorum negocio, nos ad Sanctorum inuoca-  
 tionem remittas? **Quemadmodum lex de inuoca-**  
**do Deo data est, ita etiam in nomine Christi pete-**  
**re peculiariter iubemur, ac annexam illic, nos con-**  
 secuturos, quis quid in nomine ipsius petierimus,  
 promissionem habemus. Per ipsum enim accedere  
 audemus cum fiducia, misericordiam consecuturi,  
 & gratiam inuenturi in auxilio opportuno. Si quis  
 peccauerit, inquit Ioannes, aduocatum habemus  
 apud patrem, Iesum Christum. Sedet (inquit Apo-  
 stolus) ad dextram Patris, ac pro nobis intercedit.

Item

Item, Vnus enim Deus est, & unus mediator Dei,  
 & hominum, homo Iesus Christus. Hic sane Apo-  
 stolus cum precationum mentionem fecisset, tum  
 cuius mediatoris fiducia fieri debeat edocurus,  
 orantes non ad demortuos sanctos, sed ad solum  
 aduocatum ac mediatorem Iesum Christum remit-  
 tit. Ceterum qui hac de re plura uelit, institutio-  
 nem Caluini, quo loco haec prolixius ac exactius  
 tractantur, legere poterit: haec interim cursorie,  
 quodammodo ut locus postulabat, dixisse hic suf-  
 ficiant.

Hoc peracto, presbyter impanatum  
 Deum suum in duas partes frangit, ac tandem al-  
 teram super patenam reponit, alteram uero par-  
 tem in duo frusta subdiuidit, ac alterum paten-  
 etiam, iuxta dimidium deum suum, imponit. Ter-  
 tio uero frusto digitis retento: Per omnia, in-  
 quis, secula seculorum, tum illico illi respon-  
 detur. Amen. Tum addit, Pax Domini,  
 sit semper uobiscum, responsum sequitur,  
 Et cum Spiritu tuo. His decantatis, signisq;  
 crucis factis, tum Dei sui particulam in calicem  
 delabi permittit sacerdos, inquiens, Fiat com-  
 mixtio & consecratio corporis & san-  
 guinis Domini Iesu Christi, accipien-  
 tibus nobis uita aeterna, amen. Haec au-  
 tem omnia proprias significationes, ac peculiaria  
 mysteria, hoc est, superstitiones habent ac impieta-  
 tes, sicuti missarij doctores omnes asserunt. Sed an  
 hoc institutioni Christi morem gerere est? Vbinam  
 infamis bestia, Christum panem uino miscuisse le-

gitur? Scimus sanè panem primò, deinde uimum di-  
scipulis datum esse: at nebulones isti à recta via &  
doctrina aberrates, superstitiosum, imò fatuam hic  
contra Christi institutum mixturam excogitant, hu-  
ius porrò imposture uarias reddere conatur pro  
suo more rationes Durandus, quas ut præterirem  
consultius mihi uisum est. Preterea quid consecra-  
tionis uocabulo hic Missarius morio, dum inquit,  
Fiat commixtio & consecratio corporis & sangu-  
nis, &c. sibi uelit nescio. An enim nō dudum (ut fal-  
so docent) facta fuit consecratio: hoc est, ut loquun-  
tur, panis ac uini in corpus ac sanguinem Domini  
transmutatio? Cur igitur, si prius facta est, ut dicūt,  
denuò hic fieri consecrationem uolunt? At miseros  
ita obsecratos esse oportuit, ac in tantum tenebra-  
rum, ac errorum abyssum præcipitari, ut ex menda-  
cio mendacium pullulare hic non animaduertet.

## II. SECTIO PARTIS III.

**H**as execrationes sequitur Agnus Dei, cui qui-  
dem uenerabilis carnifex tres subnectit ora-  
tiunculas. Prima rogat, ne Deus ad sua pec-  
cata respiciat, ecclesiamq; secundum uoluntatem suam  
unire, ac coadiuuare donetur. Secunda petit, ut cor-  
pus & sanguis Christi illum ab omnibus iniurianti-  
bus suis liberet, ac uniuersis malis, faciatq; diuinis  
semper inherere mādatis, &c. Tertia precatur, ne  
hoc mysterium illi in iudicium ac cōdemnationem  
uergat, sed ad animi & corporis tutelam proficiat:  
bis precationibus recitatis hostiam suam manu te-  
nens: Panem, inquit, cœlestem accipiam, & nomen  
Domini

Domini inuocabo. Tum trinis uicibus non sine hy  
 poeriticis gestibus pugno pectus percutit, ac etiam  
 tribus uicibus repetit, Domine nō sum dignus &c.  
 tum subiūgit, corpus Domini nostri Iesu Christi cu  
 stodiat animam meam in uitam æternā. ac tandem  
 Deum suum impanatum degluit. Postea uero sum  
 pto calice, Quid retribuam, inquit, Domino, pro  
 omnibus quæ retribuit mihi? ac subnectit, Sanguis  
 Domini nostri Iesu Christi custodiat animam me  
 am in uitam æternam. Amen. Actum etiam cy  
 phum suum penitus exorbet hoc facto, Quod ore  
 sumpsimus, inquit, pura mente capiamus,  
 & de munere temporali fiat nobis remedium sem  
 piternum: item corpus Domini nostri Iesu Christi,  
 quod sumpst, ac sanguis eius, quæ potauī, adhæreat  
 in uisceribus meis, & præsta, ut in me non rema  
 neat scelerum macula, quem pura & sancta refi  
 ciunt sacramenta. Huiusmodi autem oratiunculis  
 cursoris recitando, uino adhuc madefactos digitos  
 (quos prius euacuato poculo, uino aqua permixto  
 lauerat) lingere solet. Tum demum post communio  
 nem (ita enim uersiculos quosdam ex Psalmis, aut  
 alijs Scripturæ locis, hic insutus, artis missariæ uo  
 cabulo uocant) osculato altari submurmurat.

Postremò uero ultimas suæ abominationis ora  
 tiones prosequitur, quæ sanæ, ut reliquæ omnes,  
 aut summa impietate refertæ sunt, aut impijs (ut se  
 pe dixi) actibus accommodantur. Quarum quidem  
 unam hic referre libuit, quam circuncisionis Domi  
 ni sacro die proferre solet presbyter. Hæc nos (in

quit ) communio purget à criminē, & intercedēte  
 gloria uirgine dei genitrice Maria, cœlestis reme-  
 dij faciat esse participes. Sunt & aliæ quæ huius sa-  
 crilegij perceptione peccata remitti, ac condonari  
 affirmant, estq; Missale huiusmodi passim impie-  
 tatiibus plenum. Nos uero melius sentimus, dum à  
 Deo etiam ipso institutis sacramentis peccata re-  
 mitti ideo non posse credimus, qnod ad id instituta  
 non sint, sicuti hactenus sæpe probauimus, proba-  
 bimusq; dum eius se obtulerit occasio, sub quartâ  
 huius Anatomiæ parte. Interea tamen miseri isti, sa-  
 crilegium hoc misse, ac in Dei despectum à satana  
 fabricatam carnificinam tantæ virtutis ac efficacie  
 esse hominibus persuadere conantur, ut inde sibi  
 peccata remitti statuant. In huius autem impostu-  
 ræ declaratio, tum quod superius eius mentio fa-  
 cta sit: tum etiam, quod sub ultima huius Opusculi  
 parte, ea de re diffusius disputabitur, ulterius insi-  
 stere nolo. Notandum est præterea, inter has  
 precatiunculas plures existere, quæ cum missa sua  
 priuata ex diametro pugnant, Missam autem pri-  
 uatam appello, sub qua populus non communi-  
 cat. Verum solus sacerdos rem agit, Deum suum  
 impanatum solus deglutit, ac scyphum solus eua-  
 cuat. In illis enim expreſſe dicitur, non solum sa-  
 crificulum, sed etiam adstantes communicasse: cu-  
 iusmodi hæc est, Repleti cibo potuq; spi-  
 ritualis alimoniae, supplices te Domi-  
 ne deprecamur, ut huius participa-  
 gione

tione mysterij doceas nos terrena despicer, & amare cœlestia. Hæc sane precatio, ac huius famæ alia, post comediam uini ofsam, à sacrificulis dici solet, quibusquidem adstantes sui tam egregij symposij consortes fuisse nugantur. Atque inde satanæ astutiam animaduertere est. Principiò enim dum hoc missæ monstrum excoxitauit, ne illicò omnibus ipsius patefierent technæ, aliquid adhuc saltem, quod post Cœnæ Domini ritè peractam communionem gratiarum actionis uice dicebatur, Satan relinquere uoluit. Ceterum est enim priusquam hæc abominatione introducta fuit, populo panem & uinum communicatum fuisse: qua de causa etiam post communionem huiusmodi generales gratiarum actiones ab illis, qui unâ communicauerant, ritè dicebantur. Verum si misericordia hæc priuatæ missæ huiusmodi precatiores insarcire (ut etiam alia non pauca prophanauit) imprudenter ausa est. Sed quam miserè hic menariatur, quis non uidet? Nec est quod Missarij doctores suo more hic cauillentur, has precatiunculas in genere ideo proferri, quod Sacerdos totius populi nomine hoc loci communicet.

Etenim quis tam insanus unquam erit, qui alterum alterius nomine baptizari dicat? Nullus sane id dixerit. Cur ergo in hoc sacrosancto sacramento id fieri afferunt?

Sorbonistas profectò suis in conuiujs (ut semel uentricolis istis papistis dignum exemplum adferam in medium) ægré laturos existimo, si illorum

illorum pedellus (ita enim cursum publicum uocant) sub prandij aut conuiuij principio aulam ingressus ita proclamaret, Magistri nostri à Sorboni ca facultate decretum est, ut uestrū nullus hoc toto conuiuio quicquā manducet aut bibat, excepto uenerabili domino decano, qui quidem uestro nomine comedet, ac potabit egregie, at interea durante conuiuio, illi ut assistatis, eadem iubet sacra facutas. An hic existimabis, ieiunos hos latrunculos (er rauis, fratrunculos dicere uolens) æquè ac uenerandum suum decanum hoc symposio satiatos ac repletos fore. Quis rogo ideo insensatus erit, qui alium pro alio comedere aut bibere hic dicat? Idem in sacro sancta Domini nostri coena statuas oportet, ut nimirum pro seipso quemlibet, nō autem alijs eam sumere sit necesse. Etenim, inquit Paulus, qui indignè manducat et bibit, iudicium sibi manducat et bibit. Tum uero totius comedie epilogus sequitur, nempe, Ite missa est. Atque hoc loco uenerandus Durandus uarie ineptit. Inter alia autem id representare somniat, quod Apostolis dictum fuit, hic Iesus qui absemptus est a uobis in cœlum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Sed hoc somnium quid ad rem faciat, uel pueri testes sunt. Aliter etiam interpretatur, Ite inquit, hoc est, redite ad propria, nimirum innueruolens, ut finita comedie quilibet domum se conferat, cuiusquidem deliramenti rationem, ut ineptam, ita etiam impiam, reddit, nempe quod in Missa, iam oblata sit pro salute generis humani hostia

hostia sacra: aliud idem æquè absurdum profert,  
nempe pastorum ad locum nativitatis Christi ac-  
cessum hoc Ite missa est, significari. Sed quia  
hæ de Ite missa est, nuge non minus absur-  
ditatis, quam impietatis continent, omissis ijs, ad  
tertiam huius tertiae partis sectionem, ubi missa  
pro defunctis ad amissim delineabitur, accedamus.

## III. SECTIO PARTIS III.

**H**actenus in explicatione Missæ pro uiuis oc-  
cupati, nullam pro defunctis missæ mentio-  
nem fecimus, quod si impietatibus ac insi-  
nitis illic contentis erroribus insistere uellemus,  
Nullus scribendi unquam finis esset. Etenim talis  
tamq; profunda abyssus, ac intricatus adeò laby-  
rinthus est, ut penetrari, aut inde exiri uix queat.  
A principio autem execrabiliorē ac detestan-  
dam magis abominationem, Missa, excogitatam  
nunquam fuisse, ostendere fuit animus, id quod ad  
oculum quodammodo demonstrasse sat est. Nec in-  
tereā dubito, huius à me suscepti operis, elegan-  
tius, ac pro rei dignitate grauius tractandi ansam,  
occasioneq; hanc quanquam crassa rudiq; Mi-  
nerua scriptam Anatomiā, cultioris ingenij ui-  
ris præbituram. Quos sanè per nomen Domini no-  
stri Iesu Christi oro atque obtestor, ut in ea re ad  
Dei gloriam, Ecclesiæq; Christianæ propagationē,  
suam operam impēdere, his meis conatibus impulsi  
non dedignantur. Ad hanc igitur pro defunctis  
missam accedamus, sicuti igitur superius pro uiuis  
missam diabolicum sacrilegium esse ostendimus: ita  
etiam.

etiam eandem pro defunctis, horrendam, & ex-  
presso Dei uerbo, reluctantem, inq; despectum Chri-  
sti à Sathanā fabricatam impietatem esse, abunde  
docebimus. Ac quod ita sit, uel prima precatio hic  
testatur. Deus (inquit Missator) cui proprium est  
misericordi, & parcere, te suplices exoramus pro a-  
nima famuli tui, quam hodie de hoc seculo migra-  
re iussisti, ut non tradas eam in manus inimici, ne-  
que eius obliuiscaris in finem, sed iubeas eam à san-  
ctis angelis suscipi, & ad patriam paradisi perdu-  
ci, ut quia in te sperauit, & credidit, non pœnas  
æternas sustineat, sed gaudia æterna possideat.

Nunc quero, qua ratione hæc tam lepida pre-  
catio, defuncti animam pœnis æternis non subiici  
putat, si in eo est statu, ut propter fidem ac spem  
in Christo habitam, damnari non possit? Certum  
est profectò pro damnatis Ecclesiam nullo modo,  
nec etiam beatis (quod quidem fatentur papistæ)  
preces fundere, quod si hoc corporis ergasto so-  
lutas animas, propterea quod de sua salute per fi-  
dem in Christum certæ sunt, damnari est impossi-  
bile, quid rogo ut pro illis oretur opus est? Eque  
sanè est, ac si precarentur, ne id faciat Deus, quod  
se nunquam facturum pollicitus est. Præterea, si  
pro fidelium defunctorum animabus orandum e-  
rat, tum sanè ut à purgatorio (quod quidem que-  
stus gratia, præter id quod horrendam impietatem  
continet, à Romanensibus excogitatum est) non au-  
tem à pœnis æternis liberentur, erat petendum.  
Etenim per fidem in Christum ab æternis pœnis li-  
bera-

beræ omnino ac immunes existunt fidelium animæ.

Sequitur igitur precationem hanc, quia fidelium animarum salutem in dubium reuocet, planè impian esse. Verum id diffusius aliquantulum discutiamus, defunctorum animæ, aut fidelium sunt, aut infidelium: quod si infidelium, tum illis ut propitietur Deus frustrâ petitur: sunt enim iusto Dei iudicio damnationi destinatæ. Si uero defunctorum animæ sunt fidelium, tum sane, ut à pœnis æternis liberentur petere, summa stultitia est: gratia enim Dei per passionem Iesu Christi ab illis (ut diximus) sunt immunes, Quod autem ad purgatorium attinet, de eo ut hic uerba faciamus, non est adhuc locus, Lectores tantum hic admonitos esse uolo, Purgatorium, Sathanæ admuentum esse, atque ad corradendos numnos, Missarum emporio adaptatum: ex quo quidem totum quod pro defunctis officium vocant, dependet.

Sed ad ea, quæ in hac sequuntur Missa progradientur, decantata hac aut simili prectione, tum ad Epistolam prorumpit uenerandus presbyter, Est autem ut plurimum ex Apocalypsi desumpta, ubi Ioannes: Audiui, inquit, uocem de coelo dicentem mihi, Scribe, Beati qui in Domino moriuntur: immo, inquit, spiritus, qui requiescunt à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Sacrificulus autem fomino adstantes forte ex citaturus, de suo hic aliquid præmittere consuevit, inquiens, in diebus illis, nimirum ut simio

Matth. 9.  
Luc. 7.  
Ioan. 3.5.6  
Act. 10.  
Rom. 1.  
1. Ioan. 5.  
1. Pet. 2.

Esa. 26.27.38 more prophetas, qui quandoque hac sententia usi  
 fuere, imitati uideatur. Sed ad id quod hoc loco ex  
 39.  
 Apocalypsi usurpat Missator, accedamus. Si illos,  
 Iere. 8.31.  
 Dani. 12.  
 qui in Domino moriuntur, sicuti spiritus Dei hic,  
 non autem hominis affirmat, à laboribus quiescere  
 certum est. Cur igitur, ut id de quo per spiritū Dei  
 certi sunt, illis concedatur, orandum putant papi-  
 stae? An non spiritus Dei defunctorum in Domino  
 animas, ab omnibus pœnis ac laboribus quiescere  
 satis testatur? Concludamus igitur defunctorum in  
 Domino animas, ut à pœnis liberentur, nullo mo-  
 do opus habere. Præterea si in Domino defunctorum  
 animas in hoc à missarum mercatoribus exco-  
 gitatum purgatoriū detrudi esset necesse, cur que-  
 so hic affirmaret spiritus Dei, illos à laboribus quie-  
 scere? Cur rogo, non multo magis pro illis, quo à  
 purgatorijs cruciatibus liberarentur, orare nos ad-  
 moneret? Relinquitur ergo, hoc pro defunctis sa-  
 crificium non solum uerbo Dei, sed etiam sibi ipsi  
 contrariū esse. Etenim abominationem hanc nunc  
 defunctorum animas à pœnis quiescere, nunc uero  
 ut ab eisdem liberentur (quæ quidam duo simul ue-  
 ra esse nequeunt) petere certum est. At hic nil mirū  
 est, hoc enim pacto mendacium seipsum prodere,  
 necesse est. Cæterū quod ad aliam ex libris Ma-  
 chab. 12 chabeorū ab illis sumptam epistolam attinet, quam  
 etiam (præter id quod in sacrorum librorum Cata-  
 logum non referuntur) misere, imò falso corumpe-  
 re ausi sunt, dum offerri ea ibi pro offerri  
 pro peccatis mortuorum sacrificium,  
 inquit,

inquietunt, in eius explicatione non usq; adeò immo  
rabor, hoc tamen unicum dicam, Augustinum  
nempe (quem quidem hos Machabeorū libros pro  
canonicis recepisse aiunt) non usque adeò multum  
authoritatis illis tribuere. Scripturā (inquit) Ma-  
chabeorum nō habet Iudæi, sicuti legem, psalmos,  
et prophetas, quibus testimonium perhibet Domi-  
nus tanquam testibus suis dicēs, Oportebat impleri  
omnia quæ scripta sunt in lege, psalmis et prophe-  
tis de me, sed recepta est, inquit, ab Ecclesia non in-  
utiliter, si sobrie legatur, uel audiatur. Imò uero uel  
author ipse quantum sibi fidei tribuendum sit, dum  
ueniam, si minus benè dixerit deprecatur, aperte o-  
stendit. Ex quo quandoquidem scripta sua uenia in-  
digere satetur, spiritus sancti instinctu nō scripsisse  
conspicuum est. Sequitur porrò (uaria enim hic  
pro libito recitata Euangelia lubens pretero)  
Offertoriū. Domine Iesu Christe, in  
quit, rex gloriæ libera animas omniū  
fidelium defunctorum de manu infer-  
ni, & de profundo lacu, de ore leonis,  
ne absorbeat eas tartarus, sed signi-  
fer sanctus Michael, repræsentet eas  
in lucem sanctam, quam olim Abra-  
ham promisisti, & semini eius. Tum demū  
bar, etiam blasphemiam subnectit, hostias, &  
preces, inquit, tibi Domine offerimus  
tu suscipe pro animabus illis, qua-  
rum hodie memoriā agimus, fac eas  
Domine de morte transire ad uitam.

C5t.see.Gau.  
Episco.cap.  
23.

Luc.24.

b Nunc

Nunc quām enormiter in suo hoc offertorio, ac im-  
piē orent papistē uideamus. Precantur in primis  
omnium fidelium defunctorum animas per Iesum  
Christum à pœnis inferni liberari, ac de ore leonis,  
hoc est Diaboli: nēue tartarus, hoc est, profundus  
abyssi eas absorbeat, ne cadant in tenebrosa ac ab-  
scura inferni loca. Nonne hoc quicquid est impie-  
tatis eò tendit, ut fidelium animas hoc corporis car-  
cere liberatas, damnationis periculo subiici, ac in  
sathanæ manus cadere posse ostendat? O sacrilegi-  
um, ô blasphemia, ô deniq; Christianis omnibus exe-  
cranda impostura. Sed adhuc Papistarum res scili-  
cet, sese bene habet, dum purgatorij fabricatorum  
opinionem penitus inuertunt: fatentur enim, illo-  
rum qui in gratia (ut uocant) deceidunt, ac pro qui-  
bus solis non autem alijs Romana Ecclesia interce-  
dit, animas damnari non posse, sicut nec reprobato-  
rum, pro quibus non interceditur, saluari. Cur igi-  
tur hæc tam lepida (quam mercaturæ suæ uocabu-  
lo offertorium uocant) oratione, non potius ut à  
purgatorij pœnis liberentur, quā inferni, quō qui  
dem (ut et fatentur) nunquam descendere possunt,  
precantur in hoc euidentis contrarium fortassis euæ-  
suri per manum inferni, locum profundum, os leo-  
nis scilicet non damnatorum locum, sed purgato-  
rium intelligi debere suo more cauillabuntur, ue-  
rum, quis hos hoc pacto tergiuersales nebulones a-  
nimaduertens, perficiat & nimirum frontis esse non  
iudicabit? Non enim dubium est, hæc uerba de pœ-  
nis æternis (ut & expressè precedens oratio illa-  
rum,

rum, non autem purgatorijs, meminit) intelligi de-  
 bere, inquit enim illic Missator, Ut quia in te  
 sperauit, & credidit, non poenias æter-  
 nas sustineat &c. Sequitur ergo, hoc offerto-  
 rum execrabilem impietatem (qua quidem fideli-  
 um animas hoc corpore exutas, poenis adhuc æter-  
 nis subiici posse asseuerat) spirare, ac propriea-  
 terbo Dei, si fieri posset, ruinam minitari. Quod  
 autem ad subsequentem uersiculum attinet, ob id  
 huic abominationi subiectitur, quod se promortuo-  
 rum salute hostias offerre, ac subinde Missam mor-  
 tuis & que ac uiuis prodesse falso asserant: at id bla-  
 phemia est inter alias omnes execrationes primas  
 tenens. Plura interea nobis hac de re dicenda fo-  
 rent, quoniam uero superius quedam attigimus,  
 pleniorq; eius tractatio inferius habebitur, pluri-  
 bus hic re non agemus. Secretas item, ac post com-  
 muniones, ut uocant, quod illarum superius men-  
 tio facta sit, consulto hoc loco prætermittimus.  
 Nuc igitur ad huius Anatomiae tertiae partis sectio-  
 ne quartæ accedamus, qua quidē breuib; id quod in  
 missæ cloaca, hoc est missali, reliquū erit ostendem⁹.

### III. SECTIO PARTIS III.

**S**upra memoratas execrationes sequitur cine-  
 rum, ut uocant, benedictio, quæ sanè non mo-  
 dò impietatis ac superstitionis, sed etiam deter-  
 standæ ac diabolicæ idololatriæ plena est. Deus,  
 inquit missarius incātator, qui non mortem  
 sed poenitentiā desideras peccatorū,  
 fragilitatem conditionis humanæ be-

nighissimè respice , & hos cineres,  
 quos causa proferēdæ humilitatis at-  
 que promerendæ ueniæ , capitibus  
 nostris imponi decreuimus benedit.  
 cere tua pietate digneris . &c. hic profecto  
 aperte fatentur papistæ homines ad remissionem  
 peccatorum hos cineres frontibus imponere, sed  
 nonne execrabilēm blasphemiam dixeris, cineri-  
 bus nos peccata redimere fateris uel hinc sanè appa-  
 ret, impudentem hunc Antichristum peccatorum  
 remissionem non usq; adeò magni facere, quam ita  
 uili cinerum precio hic obtineri posse affirmat. Ve-  
 rum enim uero, quæ tandem dementia est, remissio-  
 nem peccatorū sub cineribus includere uelle, quam  
 saluator noster passione sua, precioso sanguine, ac  
 morte nobis acquisiuit. Si quid timoris, si qua re-  
 uerentiæ Diuinæ scintilla hominibus inesset, hanc  
 sanè execrationem nullus mortalium perferret.

Quod autem ad candelarum benedictionem at-  
 tinet, principio candelas has in hominum usum cor-  
 porumq; ac animarum salutem, per sanctissimi sui  
 invocationem nominis , ac beatæ semperq; virgi-  
 nis Mariæ, ac sanctorum intercessionem benedi-  
 cere, ac sanctificare Deum precatur sacerdos. Sed  
 miseri, ubi nam unquam expiscati estis, hominum  
 manibus fabricatis creaturis, candelis nempe, ac  
 huiusmodi alijs, id efficacie datum esse, ut ad salu-  
 tem animæ conferre possint? Id sane in tota sacra  
 scriptura nusquā reperiri poterit. Scimus enim  
 animarū salutē, peccatorū ueniā ac remissionē esse,  
 at tanti

At tanti momenti res sunt ac ponderis, ut nullo alio  
 pacto quam per misericordiam Dei, ac solam per  
 Christum datam gratiam hominibus concedi que-  
 anti. Imò quod maius est, hæc tam lepida scilicet o-  
 ratio sibi ipsi aperte cōtradicit, Ad finē enim, hunc  
 candelas, siue cereos ferentū cœtum, Domini Dei  
 creatoris cœli & terræ, regū regis, ac Domini do-  
 minatiū precioso sanguine redēptū esse cauit, tū à  
 principio cādelas in hominum usum, animarumq;  
 salutē, hoc est, remissionē peccatorū benedictas es-  
 se affirmat. Quo pacto igitur hæc duo iuicem sibi  
 cohērere poterunt, homines nempe per sanguinem  
 Domini salutem consecutos, ac candelas siue cere-  
 os animarū salutem conferre? salus profectò ani-  
 marum remissio peccatorum est, remissio uero pec-  
 catorum ipsa esse redemptio. Quod si candelæ sa-  
 lutem animarum conferunt, tum remissionem pec-  
 catorum, ac per consequens redemptionē median-  
 tibus illis contingere (quod absit) dicendum est. Ve-  
 rum, quam execrabilis sit hæc blasphemia quis sa-  
 ne mentis non uidet? Hac maledictione peracta,  
 candelisq; aqua maledicta (benedictam uocant) a-  
 spersis ac demum accensis, tum processionem, quam  
 uocant, incipiunt: cui quidem actui qui intersunt,  
 moriones tempore Bachanaliorum laruatos esse  
 dices. Interea uero antiphonam (ita enim hanc  
 abominationem artis Missaræ uocabulo appel-  
 lant) intolerabili impietate ac blasphemia ple-  
 nam decantant, Adorna, inquiunt, thala-  
 mum tuum Sion, & suscipe Regem

Christum amplectere Mariam, quæ  
est cœlestis porta, &c. Iam uides quād impu-  
denter contra expressum uerbum Dei, diuam uirgi-  
nem, cœli portam, hoc est, uiam ad salutem uocare  
audeant. Quod quidem sacrilegium non solum hoc  
loco ab illis patratur, sed & ubique se Domi-  
ni matrem laudibus efferre putant, dum illam regi-  
nam cœli, misericordia fontem, uitam, dulcedinem,  
ac spem, aduocatam, alijsq; Deo ac saluatori no-  
stro impiè detractis nominibus ac titulis appellare  
solent. Sed tam execranda hic audire, nonne horren-  
dum est? Qui meritis creaturis, Christi deferunt ho-  
nores, nonne sacras literas euertere, ac literas fun-  
ditus ad nihil deducere nituntur? Nonne Dei om-  
nipotentis maiestatem despiciunt, ac saluatorē no-  
strum suis honoribus miserè spoliant? Nec sanè me-  
preterit, Satan et ministros, hoc est, impuros sorbo-  
nistas, cuculatos monachos, laruatas monachas, to-  
tamq; papatus colluuiē in eos, qui se huic idololatri-  
æ opponere solent, conseruandarum culinarum  
gratia grauiter inuehere, honoribus suis diuam uir-  
ginem spoliari latrantes, quod eam tanquā idolum  
adorari, ac in Dei omnipotentis locum statui non  
permittimus, rugiunt item, dum diuam uirginem  
prædonem, ac latronem, utpote filij sui honorem  
rapientem, sibiq; falso uēdicantem esse negamus,  
ac (ut summatim dicam) dum suam hic idololatri-  
am uerbo Dei à nobis detegi animaduertūt, crassi-  
uncti q; nebulones penitus insaniunt.

Nec interea diuam uirginem Mariam, inter  
alias

alias creaturas singularem ualde (cui quidem præ  
 omnibus id datum fuerit, ut de utero eius saluator  
 noster Iesus Christus nasceretur) ac excellentissi-  
 mum fuisse negamus, illam etiam Dei mandato obe-  
 dientissimam, ac beneficiorum Dei in se indignam  
 collatorum (sicuti in suo cantico ipsa non infici-  
 tur) non immemorem fuisse fatemur. Quia item mo-  
 destia erga filium suum Dominum nostrum usq; sit,  
 Euangelistæ satis testantur. Quod autem ex illa i-  
 dolum, aut deam aliquam gentilitio more facere de-  
 beamus, Sathanicae schole sex infernalis, non autem  
 sacra docet scripture. Etenim si adhuc diuam uirgi-  
 nem his in terris uersari cōtingeret, uideretq; Chri-  
 sto subreptos honores sibi ab istis pamphagis tri-  
 bui, nonne quæso omnes insanos esse diceret? Chri-  
 stus profecto solus, Vita spesq; nostra est, ipsissi-  
 ma coeli porta, salus, consolationis fons, ac miseri-  
 cordiae pater, solus item aduocatus, interq; Deum  
 ac homines mediator noster existit. Quæ igitur im-  
 pietas est, incarnatos hos dæmones, ac sathanæ as-  
 seclas, diue uirgini honores Deo ac Christo Iesu  
 proprios tā impudenter tribuere? Quid quæso aliud  
 in suo Salve Regina, Ave Maris stella, Regina cœli,  
 ac alijs & quæ impijs cantionibus, infernales istæ be-  
 stiæ agunt, quam quod diuam Virginem execra-  
 bilibus conuictijs, ac iniurijs prorsus intolerabili-  
 bus afficiant? Verum enim uero Sathanicus error,  
 mortalium plerosque fascinavit, ut ab An-  
 tichristo illo Romano falso persuasi, neglecto

Ioan. 1. 6. 12.  
 & 14.  
 Rom. 8.  
 Colos. 8.  
 L. Tim. 2.  
 1. Ioan. 1.  
 Acto. 4.

Christo, ad diuam Virginem, sanctosq; demortuos  
aceruatim concurrerint, illosq; sibi patronos, ac  
Saluatoris nostri uice, apud Deum aduocatos, nul-  
lo uerbi Dei respectu habito, impie constituerint.

Multa nobis etiam ac uaria de rerum aliarum  
exorcismis, ac papisticis incantationibus, sive (ut  
uocant) benedictionibus (ranorum scilicet, frumen-  
ti, leguminorum, herbarum, cerei paschalis, incen-  
si, ignis, campanarum, ac reliquarum huiusmodi su-  
perstitionum) fieri solitis, hic sese latissimus effe-  
ret campus, eorum quandoquidem Satanicæ huius-  
modi illusiones, pastorale illorum (harum enim su-  
perstitionum receptaculum ita uocant) legere, hoc  
est, oleum, ac operam perdere uolentibus, perspi-  
cuae satis esse poterunt, delirijs eiusmodi tempus  
frustra terere inutile uisum fuit. Attamen ne omnia  
silentio præterire uiderer, subsequentem ouorum,  
casei, ac carnium, non minus impium ac ridiculum,  
quam etiam gulosa benedictionem non omitten-  
dam duxi. In hac enim adiunctione deprecantur fa-  
natici isti Deum super edulia benedictionem suam  
infundere, ut gustantibus proficiant in uitam eter-  
nam. Estq; & alia quæ quidem quibuslibet in  
genere rebus, uelut ephippium quibuscumque, e-  
quis accommodum, applicare solet. Rogant enim  
Deum, ut eam creaturam, quæ illis proponitur, be-  
nedicat, quo sit humano generi salutare remedium  
&c. Quis rogo tam hebeti ingenio esse unquam  
poterit, qui istos diuinae maiestatis illusores, cadu-  
ci ac corruptioni obnoxij rebus, ea quæ nec an-  
gelis

gelis Dei conueniunt, impudenter attribuere, non  
 animaduertit? Quis cedò præter saluatorem no-  
 strum Iesum Christum, humano generi salutare re-  
 medium esse poterit? Christus enim solus id mune-  
 ris sua passione sibi uendicauit. Quid igitur gulost  
 isti, ac sordidi uentricolæ hic garriunt, dum caseo,  
 quis, carnibus, alijsq; uentri seruituibus, quas suis  
 exorcismis incantare solent, rebus, uite ac salutis  
 rationem demandant? Christus sane ore proprio, Math. 15.  
 id quod os intrat hominis non coinqimare protu-  
 lit. Quod autem animæ nil detrimenti adferre po-  
 test, nec sancte quicquam adiumenti eidem præstare  
 poterit. Præterea (inquit Apostolus) regnum Dei  
 non est esca & cibus, nil profectò hic innuere uo-  
 lens aliud, quam regnum Dei: quod quidem spiri-  
 tuale est, corporis ac caducis labilibusq; rebus non  
 consistere. Etenim ubi, inquam, in sacris literis le-  
 gitur, uerborum ui ac uirtute, corruptioni obno-  
 xijs rebus id efficacie unquam Deum inuidisse, ut  
 animabus salutem adferre possint? Fortè fascina-  
 torum istorum quispam replicaturus? Imò, inquit,  
 idem Apostolus, Cibos oratione ac uerbo Dei san-  
 ctificatos esse docet. Huic breuibus responsum esse  
 uolo. Paulum hoc loco de ciborum sanctificatione,  
 uerba facientem minime docere, hac ratione cibos  
 uirtutem aliam quam non habuerint prius in se re-  
 cipere, sed hac sanctificatione, uerum, purum, ac  
 indifferentem liberum Christianis cum gratiarum  
 actione sumendorum usum sanxisse certum est. Ad  
 huius autem intellectum nobis notandum uenit, sub

1. Tim. 4.

lege existente populo Dei, non omnibus pro libito  
 cibis, uerum illis solim, qui per legem concessi e-  
 rant, uesci licuisse, à lege uero non permissa edulia  
 immunda, contaminata, ac communia, uocata fuisse  
 se, ea uero quibus populo Dei uesci per legem li-  
 cebat, sanctificata: hoc est, pura & munda fuisse  
 dicta. Quandoquidem uero post saluatoris nostri  
 Iesu Christi aduentum ciborum delectus apud Chri-  
 stianos sublatus est, omnes citra controversiam ci-  
 bos Christianis sanctificatos, hoc est, licitos esse,  
 certum est, atque in eam sententiam loquitur Apo-  
 stolus. Eo etiam tendet Petri in Apostolorum actis  
 Act. 10. uisio: cum enim uas omni animalium genere refer-  
 sum, uelut linteum magnum ē cōelo deorsum mitti  
 cerneret: uocemq; qua ut mactaret & mandu-  
 ret, audire uideretur, renueretq; inquiens, se nun-  
 quam immundum aut commune quicquam mandu-  
 casse. responsum illi fuisse testatur Lucas, ne quod  
 Deus sanctificasset, commune aut immundum di-  
 ceret. Quo sane responso satis innuebatur. Chri-  
 stianis edulia omnia citra delectum sanctificata,  
 hoc est, pura ac munda esse. Id etiam Apostolus  
 Tit. 1. testatur, dum inquit: Omnia munda mundis. coin-  
 quirimatis autem ac infidelibus nil mundum esse. Se-  
 quitur igitur hanc Papistarum in sanctificandis ci-  
 bis superstitionem, diabolicam imposturam exi-  
 stere. Non abs re ergo hanc de ciborum delectu,  
 & discriminie in Ecclesia introductam doctrinam,  
 spiritum erroris ac demoniorum esse affirmat apo-  
 stolus Paulus prima Timothei quarto capite: Om-  
 nis enim

nis enim creatura Dei (inquit) bona, nilq; rejici-  
endum quod cum gratiarum actione percipitur,  
sanctificatur enim, hoc est, usus illius purus, mun-  
dus, ac permisus esse prædicatur per uerbum Dei,  
ac orationem. Per uerbum (inquam) creationis, quo  
quidem ad usum hominis omnia creata sunt: per  
uerbum item, hoc est, uocem hanc, quam superius  
de coelo missam diximus, ac tandem per Euangelij  
uerbum, quo fideles omnes legis iugo liberatos esse,  
ac omnibus sine ulla differentia cibis, liberè cum  
gratiarum actione ac oratione uti posse (etenim  
nisi præcedente oratione, ac sub sequente gratiarum  
actione, homini Christiano cibus sumendus nō est)  
certi redunduntur. Atq; hæc est Apostoli de sancti-  
ficatione ciborum (quam quidem suis ueneficijs  
missarij incantatores impudenter accommodant)  
genuina sententia.

Act. 18

Restat ut de aquæ adiuratione breuibus ali-  
quid dicamus, in primis autem incantatores isti,  
sal exorcisant, hoc est, adiurant ac fascinant, rogan-  
tes, ut fiat sal exorcisatum, siue adiuratum in salu-  
tem credentium, sitq; sumētibus in salutem animæ  
et corporis: his recitatis, hanc suam adiuratio-  
nen triplici crucis signaculo munit, ueneficus mis-  
sarius. Tum altera eiusdem impietatis pre-  
catio, immo increpatio potius sequitur, qua hanc  
Creaturam Salis benedici, ac ita sanctificari,  
ut sit omnibus credentibus sanitas mentis, et  
corporis, roget: atque ea precatio duabus etiam  
crucibus signatur. Tum uero incantato sale,  
quam

aquam etiam transformare incipit. Rogat autem ut  
 fiat aqua exorcizata, siue incantata ad effugientem  
 omnem potestatem inimici, ipsumque inimicum ex-  
 plantare ac eradicare ualeat cum angelis suis apo-  
 staticis, &c. Estque haec precatio crucis etiam signa-  
 culo farcita. Tum demum in eo negocio ulterius pro-  
 cedens incantator, huic adiuratae aquae uirtutem be-  
 nedictionis infundi precatur, ut creatura Dei my-  
 sterijs seruiet, diuinae gratiae sumat effectum ad ejus-  
 ciendos dæmones, morbosque pelledos, ut quicquid  
 huiusmodi aqua aspersum fuerit, careat omni im-  
 mundicia, ac ab omni noxa liberetur? adeo ut im-  
 mundus aeraque corrumpens peritus, illic nullo pa-  
 elo locum habeat, &c. Sed quid multa? Dispeream  
 si uel in magicis artibus exercitatissemus, siue adiu-  
 rationibus, his incantatoribus, in fascinandis homi-  
 num oculis, expeditius unquam uti poterit. Ad quid  
 enim quæso, aliud, his adiurationibus utuntur Ro-  
 manenses, quam ut in Dei despectum naturæ ordi-  
 nem inuertant? Nonne huiusmodi illusionibus Dei  
 creaturarum usum præteruertere nititur? In quem  
 enim usum sal hominibus datum, ac aqua concessa  
 sit, non noscimus. At fanatici isti, prout suis stupi-  
 dis capitibus superstitiones inciderint, has, aliasque  
 in hominum usum datas creaturas, superstitionis  
 suis inuentis impudenter applicant. Sed mirum ui-  
 deri posset, eosque uesaniæ homines deuenisse, ut  
 ab eiusmodi missarij sacrilegi faculento gutture  
 prolati uerbis, incantatum hoc aquæ elementum,  
 tantum uigoris habere, sibi tam miserè persuad-  
 ferint,

225

serint, cuiusquidem in tota sacra scriptura nullum testimonium relictum sit. Verum huiuscemodi monstrare eum in modum excœcari oportuit, ut, quia veritatem, eiusq; professores indies magis magisq; expugnet, iudicio Dei ad insaniam usq; redigeretur, ut pro candidis nigra, pro lumine tenebras, proq; ueris falsa amplexi fuerint. Cæterum hic etiam de peregrinantium peris ac baculis, quoq; pacto etiam benedici. hoc est, incantari soleant, alijsq; in hoc missali baratro spectris mibi dicendum foret, ni me plus satis temporis in huiuscemodi horroribus contriuisse animaduerteret. Quoniam uero tertiam huius Anatomiae partem, ut polliciti in præfatione fueramus, absoluimus, nunc ut ad reliquas huius semper maledictæ missæ execrationes accedamus, Deus postulat.

## ANATOMIÆ PARS IIII. ET VLTIMA IN Q VATVOR

Sectiones diuisa.

### SECTIO PRIMA.



Si superius uarios abusus, errores, superstitiones ac quibus undique refertum est hoc Missæ monstru impie tates, ut locus ferebat explicuerimus: atamen ut superius in præfatione pollicitis satisfiat, reliquum est ut in hac ultima huius Anatomiae nostræ parte, alias, plusquam Sathanicas imposturas ( quibusquidem totius Christianismi summam messe, homines falso persuasi fuere ) quasi per species discutiamus. Inter alias autem nobis hic tractan-

das execrationes, hæc primo loco se offert, quod Missæ abominationem peccata remittere, proq; il-  
lis satisfacere, uel illorum remissionem hominibus  
applicare, proq; uiuis non solum, sed etiam mortuis  
meritorum esse sacrificium acclamet ubique pa-  
pistæ. Hac uero execratione refutata, hoc Missæ  
Sacrilegium non diuinum institutum, sed Sathanæ  
commentum ac à pluribus Antichristis uarijs mo-  
dis collectum, ac consutum esse ostendemus. Tum  
demum uarios, ac enormes ( quorum partim suprà  
meminimus ) Missæ errores, ac abusus paulò aliis,  
prout locus dabitur, repetemus. Ad primum au-  
tem nobis hic propositum articulum quod attinet,  
Quicunque hanc abominationem tam impuden-  
ter tueri ac defendere audent, ut illi tantum effica-  
cie tribuant quod peccata remittat, uidicioq; Dei  
satisfaciat, hi sanè, aut de tota Missa, hoc est, omni  
ceremoniarum ( ut uocant ) uerborumq;, ac ge-  
sticationum illic contenta farragine loquun-  
tur: aut illud de suo, quod appellant, sacra-  
mento, hoc est, incantato pane ac uino intelligi uo-  
lunt. Quod si huiusmodi uerborum, ac gesti-  
cationum impiæ confusione id tribuunt, quam  
absurdum ac ridiculum id sit, facile perspicitur.  
Quis enim uerborum murmurationibus, uel e-  
tiam uarijs in hac comedie gesticationibus, a-  
lijsq; ridiculis ineptijs peccata remitti posse un-  
quam affirmauerit? Etenim Bibliorum libros pu-  
rum uerbum Dei esse nemo ambigit, at si quis  
uel centies illos legat ac relegat, an propterea  
eum

cum qui legerit, remissionem peccatorum inde con-  
sequi dixeris? Qui igitur fieri potest, ut lecta siue  
de cantata Missa (quandoquidem diabolicam im-  
posturam esse, inferius tertia huius ultimæ partis  
sectione docebimus) peccata remittantur, aut ullo  
pacto illic à sacrificiis expientur?

Vel sole igitur ipso clarius est, nec uerborum  
quamuis etiam sacrorum recitatione, nec ceremoni-  
arum pompa, peccato ullo modo remitti posse:  
aliquin iustificatio hominis, contra apertam A-  
postoli doctrinam, non gratuita acceptatione per  
fidem, sed operibus niteretur. Etenim nemo un-  
quam uerborum prælationes, hominum opera es-  
se negabit, quæ sane hypocrita quiuis, aut infi-  
delis (psalmos scilicet uel orationes murmurando)  
equè præstare potest. Imò & sathanam ipsum om-  
nis impietatis ac mendacij parentem, è doctrina  
salutis raptaverba sacra, protulisse testatur Mathæ  
us sui Euangeli capite quarto. Sed & Aposto-  
lus uarijs in locis, operibus legis à Deo quidem  
per Mosen late (sub qua, & moralem ac eti-  
am ceremonialem comprehendit) iustificatum  
neminem, hoc est peccatorum remissionem con-  
sequi testis est. At nephanda istæ bestiæ no-  
bis persuadere conantur, murmuratione, uel  
etiam cantatione uerborum, aut aliquot ab  
hominibus superstitione, uel impie, citrâque  
uerbum ac mandatum Dei excogitarum cæ-  
remoniarum, defunctionia obseruatione nobis  
peccato-

Rom. 3. 4.  
5. &c 8.  
Gal. 2. 3.  
4. &c 5.  
Colof. 2.

peccatorum remissionem, ac coram Deo iustificationem acquiri. Sed nonne hæc plusquam diabolica audacia, ac intolerabilis impudentia est?

Quod si hanc suam imposturā non detoto Misere suæ feculēto stercorario intelligi uelint, sed hanc peccatorum remissionem, siue eius applicationem abominabili sacramento suo (ut uocant) tribui debere dixerint, id sane execrabilis impietate plenum mendacium est. Et si enim omne id, quod super pane ac uino, sibilando, aut sufflando agunt, uera institutioni (id quod aperte negauimus superius) res esset consentaneum: non tamen sacramentorum efficacia se eousq; extendit, ut ex se tam mirabiles res operentur, uerum per Christum effectas & impetratas, mediante fide, nobis tātum applicent, de his nos tutos ac securos reddant, ac illas cordibus nostris obsignent. Quod autem nec sacrosanctæ coenæ Domini sacramentū, nondum ullum aliud id officij habeat, ex eo apparet, quod uera, ac pura sacramenti siue baptismatis, siue etiam coenæ Domini perceptio, semper aliquid presupponat, nec cuiquam (si modò prouectioris ætatis extiterit) administrari, nisi doctrina Euangelij & fide in Christum precedingente, unquam possit. Sequitur igitur, sacramenta nullo modo peccata per se remittere, ne peccato iustificare posse. Quodq; ita sit, constat ex sequenti argumento: certo enim certius est, neminem (si ab annos discretionis peruerterit) huius, aut alterius sacramenti communioni se ingerere debere, non habita prius de suis peccatis contritione, ac in paſ-

in passionem, ac mortem saluatoris, ac domini nostri fidei. At qui ueram peccatorum contritionem habet, creditq; in Christum, is sane remissionē peccatorum consequitur, ac tandem uerē iustificatus est. Id autem facile ex Actis apostolorum apparet, dum Cornelium Centurionem alloquens Petrus, hic (inquit) prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Paulus item, notum sit nobis fratres (inquit) quod per hunc uobis peccatorum remissio annuntiatur ab omnibus, quibus non potuisti in lege Mosi iustificari, in hoc, qui credit, iustificatur. Quod si cōtritio de peccatis, fides item in Christū, ante sacramētorum usurpationem haberi potest, imo hæc duo sacramēta (in his qui prouectioris sunt etatis) ut præcedant necessarium est: sequitur sane, peccatorū remissionē non ex sacramētis per se, seu ex opere (ut uocāi) operato, sed ex cōtritione, ac fide in Christum tanquam causa applicante, necessariō dependere. Atq; id uel ex communi, ac inueterato Ecclesiae usu, perspicuum fit, id enim moris haec tenus in ea obseruatum uideamus, ut etatis prouectæ hominibus, nisi prius de sua fide rationem reddiderint, baptismi sacramentum non impartiatur, id etiam in hoc sacrosanctæ Domini coenæ sacramento obseruari manifestum est. Quod uero ad Baptismum attinet, eius in actis euidentissimum exemplū habemus in eunicho Candacis reginae Aethiopie, quem sane Philippus priusquam se toto corde in Christū credere confessus

Acto. 10.

Acto. 13.

Acto. 8. cap.

effet,

*Gene. xc.  
Rom. 4.*

effet, baptizare noluit. Abraham item ante circumcisio-  
nem iustificatum credimus, quod quidem Abra-  
he exemplum citat Paulus, dum hominem nec ope-  
ribus nec sacramentis remissionem peccatorum con-  
sequi, hoc est, iustificari posse probat, inquiens, A-  
braham in præputio, hoc est, ante circumcisionem  
iustificatum quidem, ac tandem signum circumci-  
sionis accepisse, signaculum iustitiae fidei. Quibus  
sanè uerbis aperte docet, sacramentorum munus  
se eo usque non extendere, ut peccata remittant,  
ac iustificant homines. Verum tam inenarrabi-  
lis gratia tanquam signa, sigilla, ac signacula es-  
se. Quod si sunt, tanquam signacula iustificatio-  
nis, eius sanè causa nullo pacto esse queunt. Quid  
enim inter alicuius effectus causam, ac eius sig-  
num sit differentia, nemo nescit. At sacramenta,  
remissionis peccatorum signa sunt. Igitur nullo  
modo peccata remittere possunt. Nam pluribus  
Noui Testamenti exemplis, sacramenta remis-  
sionis peccatorum nullo modo causam esse pro-  
bari potest. Mulierem etenim (ut hæc pauca in-  
ter alia in medium adducam) peccatricem, Za-  
chæi familiam, latronem item in cruce penden-  
tem, aliosq; multos sola fide, non autem sacra-  
mentis, remissionem peccatorum consecutos le-  
gimus. Sequitur igitur, sacramenta peccata non  
remittere, ac per consequens non iustificare. Quod  
si quis ueteribus usitatum hic loquendi modum  
(quo dicitur nouæ legis sacramenta id ipsum quod  
significant,

significant, præstare) ac precipue Augustinum al-  
legauerit, qui de ueteris, ac nouæ legis sacramen-  
tu, illorumque differentia loquens, illa quidem  
saluatorem promisso, hæc uero salutem præ-  
stare afferit, Hoc sane responsum nolo diligenter,  
prudenter, ac sobrie huiusmodi locutiones a-  
nimaduertendas, ac ponderandas esse, ne illas à  
uero sensu detortas, longius extendamus. Ete-  
niam diuus Augustinus uarijs in locis, Mosaicæ  
legis sacramenta Christum prænuntiassæ quidem.  
noui autem Testamenti sacramenta annuntiare  
afferit. Libro enim aduersus Faustum decimono-  
no & decimo quarto capite, legem ac Prophetas,  
que id quod futurum erat præfigurarent, sacra-  
menta habuisse affirmat. Nostra uero sacramen-  
ta id ipsum quod promissum fuerat annuntiare te-  
statur, adeo ut in significandi modo solum dis-  
crepem. Quod uero ad rem significatam atti-  
net, inter se conueniant, ac paribus possibus am-  
bulent. Idem etiam contra Petilianum, libro se-  
cundo, capite trigesimo septimo, Iudeorum sacra-  
menta in signis diuersa quidem, uerum in re sig-  
nificata æqualia fuisse ait, hoc est, in uisibili ap-  
parentia diuersa, in spirituali, ac inuisibili effi-  
cacia, ac uirtute paria. Si igitur locutiones huius-  
modi ueras, ac uerbo Dei consentaneas esse uo-  
luerimus, operæ præcium erit illas omnes ad  
hunc scopum dirigere, ut cum diuo Augustino  
hanc ueteris ac noui Testamenti sacramentorum

differentiam, in significandi, ac representandi modo statuamus. Dicendum igitur, ueteris legis sacramenta, id quod futurum erit significasse quidem. Nisi autem testamenti, promissum representare, ac dighito quodammodo demonstrare, hoc est, non amplius futurum, sed presens, nec ulterius expectandum ostendere, ex quo Noui quam ueteris testamenti sacramenta multò expressiore, clariorem, ac digniorem significationem habere conspicuum est. At quod propterea peccata remittat, pro illis satisfiant, hominem iustificant, gratiamq; illi conseruant, quam impium sit dicere, nemo sanæ mentis non uidet.

Quoties igitur eiusmodi locutiones, quæ quidem prima fronte sacramentis remittendi peccata munus tribuere quodammodo uideri possent, nobis occurrit, quemadmodum apud Lucam,

**Luc. 3.** dum inquit, Ioannem prædicasse Baptismum in remissionem peccatorum: in Apostolorū item Actis,

**A&to. 22.** ubi Ananias: Surge (inquit) et baptizare, ac ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius. hic sanè, ut tam loquendi modum, cum sobrietate, ac modestia legamus operæ precium erit, ne per sacramēta Domini, ac salvatoris nostri gloriam obtenebrare uideamur. Interim tamen illis suum officium, ac usum ne adimanus, summopere nobis cauendum est.

Sciendum igitur hic in primis, solum Deum nec per sanguinem filij sui à peccatis nostris ablueret, ac tandem, quò id lauacrum in nobis sit efficax, mystice per spiritum sanctum in nobis operari. Dum igitur de ablutione, hoc est, peccatorū remissione incidit

incidit questio, eius sane nullus aliis author, Patre  
 coelesti dēpto, nobis inuestigandus est, quod ad cau-  
 sam (ut uocat) materialē attinet, excepto sanguine  
 Domini nostri Iesu Christi, nulla alia ex cogitanda  
 est. Quod autē ad formalē causam spectat, hic san-  
 guinem spiritū primas obtinere, nemo ambigit. Inter-  
 rim tamen (ut dixi) prædicationē uerbi dei, ac sacra-  
 mēta ueluti sensibus nostris exposita media, ac in-  
 strumenta, hic excludere nobis non licet. Quam  
 uis enim Deus sancti spiritus uirtute in nobis intrin-  
 secus operetur, id tamen nil impedit, quomodo me-  
 dijs quibusdam quæq; ad id diuīmæ Maiestati apta  
 uidentur, signis infirmitati nostræ succurratur.  
 Quoniam igitur Baptismus fidei nostræ debilita-  
 tem iuuat, ac quodāmodo releuat, ut eo certius sibi  
 promissam ex gratia peccatorum remissionem ap-  
 prehendere possit, animæ ac regenerationis laua-  
 crum rite uocari potest: hoc pacto igitur Lauacrum  
 cuius in Actis meminit Paulus, quod illi remissa fue-  
 rent peccata, causa non fuit quidem, uerum impe-  
 trata per fidem gratiæ symbolum, quo quidem pec-  
 cata sua abluta, hoc est sibi remissa esse agnouit. In-  
 terea tamen notandum est, in noui Testamenti sa-  
 cramentis, nudam ac uacuam nobis figuram non  
 proponi, uerū rem ipsam illic representari: Deus  
 etenim neminem in promissionibus suis fallere uult,  
 sed ea quæ hominibus sacramentis huiusmodi pro-  
 ponit, adimpler. Hic autem cauendum est maxime,  
 ne sacramentis gratiam Dei includamus. Nam ex-  
 terna Baptismi administratio (ut in proposita hu-

ius sacramenti disputatione maneamus) *citra Dei gratiam, nullius efficacia existit, cuius sanè gratia, p̄eente fide in Christum, comitante autem hoc symbolo, certiores reddimur.* In hunc igitur sensum accipiendum est, quod ex Luca suprà adduximus de Baptismo, nimirum quod sit signum, sigillum, ac quodammodo pignus peccatorum remissionis. Quid item in Actis senserit Petrus, dum iubet nos poenitentiā agere, ac baptizari in remissione peccatorum, facile intelligitur: Et si enim Deus per filium semel in perpetuum credentibus reconciliatus, illis peccata non imputet, hancq; reconciliatio- nē suo sancto spiritu cordibus nostris infigat, nihilominus tamen, quandoquidem tam inenarrabilis beneficij sigillum, ac pignus existit Baptismus, non iniuria nec absurdē in remissionem peccatorum dari dicitur.

Idem de alijs sacre scripturæ locis ubi remissio peccatorum sacramentis tribui uidetur, dicendum uenit. Signa nemp̄ esse ac figilla, inò pignora quædam, quibus medianib⁹, peccatorum remissionis credentes certi reddantur quidem, sed ob id eius remissionis nullo modo causa dici possint. Alia item sunt sacramentorum officia, quorum in praesentia rum, ut mentio fiat, locus non exigit.

Vt autem ad propositum reuertamur, illos qui cœnæ Domini sacramentum (ut interim de hoc pa- pistarum incantato pane taceam) peccata remit- tere garriunt, in perniciosum errorem, nephanda superstitionem, ac abominabilem impieta- tem

tem incidere concludo. Sola enī Dei bonitas, grā-  
tia, ac infinita misericordia, credentibus peccata re-  
mittit, non autem Eucharistia, ut suprā diximus. In  
terea tamen nos eius certos reddere non negamus,  
dum confirmat, ac cordibus nostris infigit, Chri-  
stum in redemptionem nostram corpus ac sanguī-  
nem suum tradidisse, passionemq; ac mortem eius  
vitæ nostræ causam esse. Quid igitur efficiet am-  
plius, ac quo tandem se ueritat hoc abominabile  
Missæ sacrilegium? An ne peccata remittet, Dei iu-  
dicio satisfaciet, ac tantam hominibus applicabit  
gratiam? Nonne id cogitare summa impudētia est?  
Si enim hanc execrationem, sacramentum (quod  
quidem impossibile est) esse concederemus, attamen  
se, eo usque non extenderet, sicuti superius abundē  
ostendemus. Garrians igiūr quantum uelint papi-  
ste, tamen necesse est prius hanc abominationem  
sacramentum esse ut doceant, quod si fecerint (nun-  
quam tamen id effecturos certū est) nihilominus ta-  
men, id quod hic falso persuadere conantur, se-  
nunquam obtenturos, uel ex suprā dictis dubium  
non est.

His igitur quæ superius adduximus argumētis,  
doctorū Missæ cauillationes, distinctiones, diffugia,  
ac sophismata, facile elidi ac in sumum quodāmodo  
redigi posse, non dubito. At hic forte pertinaciter  
replicabunt aduersarij, se, dum Missæ sacrilegium  
peccata remittere contendunt, de pœna non autem  
culpa intelligi debere. At hoc deliramentum su-  
perius prim.e partis sectione quarta, exacte adeō

refutauimus, ut id hic repetere tædiosum magis,  
quam utile esse existimem. Aliam æquic ridicu-  
lam hic distinctionem excogitarunt, mortalium sci-  
licet, ac uenialium (quaæ uocant) peccatorum, quam  
sanè (si modò propriè loqui uelimus) facile erit refut-  
lere. Nam si legis rigorë spectemus, quodcumq; pro-  
fectio peccatum mortale: est peccatum enim, quod  
legi non aduersetur, nullo modo peccatum dici po-  
test, quod si contra legem est, quin damnet, ac mor-  
ti peccantem subiçiat, non est dubium. Maledicti:  
**Psal. 119.** enim (inquit psalter) qui declinant à mandatis tuis.  
Si igitur ueniale (quod uocant) peccatum est, ob id  
sanè quod legi aduersetur, peccatum fit necesse est.  
Quòd si contra legem est, tum peccantem maledi-  
ctioni, ac morti ut subiçiat, ac per consequens mor-  
tale sit oportet. Atq; hinc Romanensem in hac ex-  
cogitanda uenialium ab alijs peccatis differentia,  
acumen ingenij uidere est. Non tamen inde sequi-  
tur, si dicamus omnia peccata sui natura mortalia  
esse, quod ob id (sicuti pleriq; somniarūt) sint æqua-  
lia: ex facto enim alterum altero enormius esse  
nemo nescit, uerùm hic omnia peccata sua natu-  
ra, respectu rigoris legis (ut diximus) mortalia es-  
se asserimus. Plura uero hic de alijs non minus inep-  
tis quam ridiculis peccatorum distinctionibus dice-  
re, cum de illis ad nauseam usque disseruerimus, ne  
idem saepius repetamus, necessariū esse non duxi.

**II. SECTIO PARTIS IIII.**  
**I**n eum finem siue usum rem quampiā, in quem  
nullo pacto apta esse queat, dirigere, quanta sit  
dementia

dementia nemo nescit. Interea tamē Missę propugnacula, eam suam execrationem sacrificium pro uiuis ac defunctis esse, mordicus tenent. Quodq; ita sit uarię profectio ea de re à sacrificulis murmurante orationculæ, eius uel testes esse poterunt. In spiritu (inquit) humilitatis, & animo contrito suscipiamur Domine, ut sic fiat sacrificium nostrum in cōspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus. Est et alia eius farinæ, quæ idem in fine Missę confirmat, oratio. Placeat tibi inquit Missator, sancta trinitas officium seruitutis nostræ, & præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ maiestatis indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihiq; ac omnibus, pro quibus illud obtuli sit, te misserante, propitiabile. Sunt et aliæ eiusmodi impietatis pœnū in Missa precatio[n]es, quibus sacrilegium hoc, sacrificium esse, antichristi aduocati docent. Quamvis autem superiori huius ultime partis sectione, aliquatenus probauerimus id perniciosum errorem esse: propterea quod si hæc abominatio non remittat peccata, multominus pro illis sacrificium esse possit: attamen quandoquidem hic articulus magni ponderis esse uidetur, quo dilucidius ueritas appareat, uel uiuis (ut ita loquar) rationibus hanc execrationem, sacrificium nullo modo dici posse, probabo. Sed quandoquidem sacrificij vocabulum uarię acceptum legimus, priusquam quo pacto Missam suam sacrificium dici debere exi

Exod. 29. stiment aduersarij uideamus, notandum uenit, sacri-  
 ficiorum in sacris literis uaria genera extare, illuc  
 Levit. 4.5.5. enim paſsim que, quo pacto, quamq; ob causam of-  
 ferri debuerint, aperte docetur, hæc autem sacrificia  
 7.10.12.14. 17.8.22.  
 Diuini. 1.6.8. 15.19.  
 in duas redigi posse species (expiatoria scilicet, ac  
 laudis siue gratiarum actionis) possunt. Expiato-  
 ria illa erant in ueteri testamento, que purgando-  
 rum peccatorum gratia fieri consueuerunt, sicuti  
 erat uulni immaculati, hostia siue holocaustum  
 &c. Quod uero ad alia alijs de causis fieri solita  
 sacrificia spectat, illa omnia generali laudis, siue  
 gratiarum actionis uocabulo comprehendendi pos-  
 sunt.

Nunc uero, si Missæ aduocati suam hanc exe-  
 crationem sacrificium laudis, siue gratiarum actionis  
 esse simpliciter assererent, in eo forte apparen-  
 tiae aliquid messe uideri posset. At cum tam per-  
 frictæ frontis existunt, ut hoc sacrilegium, expi-  
 torium sacrificium pro peccatis non solum uiuo-  
 rum, sed etiam mortuorum esse contendant, quan-  
 tum à uera ac salutari aberrent doctrina, facile  
 conspicitur. Peccata etenim expiare, hoc est, pur-  
 gare ac extinguere, excellentissimum, admirabile,  
 ac soli Deo peculiare opus esse scimus. At que-  
 so ubi Romanenses Missæ siue monstrum id pre-  
 stare unquam expiscati sunt? An ne ex ueteri Te-  
 stamento id hauserunt? nequaquam sane. Missæ  
 enim illuc (quod tum eam diabolus in mundum  
 non euomeral) nulla fit mentio. At fortasse id ex no-  
 stro Testamento hauisse se impudenter affirma-  
 bunt

bunt si id sacerint, uel unico illic iota Christum aut  
 Apostolos hanc abominationem sacrificium esse  
 docuisse, ostendant. Quo facto, liti sanè omnino ce-  
 denus. Interea tamen in sacris literis, ac nouo præ-  
 cipue Testamento coenæ Domini sacramentum, me-  
 moriale sacrificij, hoc est, Dominicæ passionis es-  
 se, reperturos non negamus. Christus etenim te-  
 flantibus Euangelistis ac Apostolo ipso, proprio  
 idore pronuntiauit inquiens, Hoc facite in mei  
 commemorationem, Sed an propterea Missæ sa-  
 crilegium sacrificium esse contendent papistæ? An  
 ne sub apertissimis his Christi uerbis hanc ex-  
 ercationem institutam esse probabunt? Cedo, fin-  
 gamus sacrosanctam Domini Coenam ( quod mi-  
 nimè fieri potest ) sacrificium expiatorium es-  
 se, nil tamen adhuc inde probari poterit. Ete-  
 nim prius necesse illis erit, ut coenæ Domini com-  
 munionem cum Missæ sue excommunicatione pa-  
 ribus ambulare paſſibus, sacrarum literarum testi-  
 monio probent. At quando rogo id futurum est  
 ad calendas forte Græcas, uel eo temporis, quo te-  
 nebras lucem, nugas ueritatem, ac Sathanæ in-  
 uenta Dei uiuentis institutionem esse nobis per-  
 suaserint.

At mirum est profectio, in tanti momenti ne-  
 gotio homines tantæ audacie, ne dicam uesaniae  
 extitisse, ut talem impietatem sine sacrae scriptu-  
 re authoritate in medium adducerent. Etenim  
 tam insigne mendacium asserere, plusquam diabo-  
 licam superbiam esse quis non uidet? At qui dubium

Mat. 26  
 Mat. 14.  
 Luc. 22.  
 1. Cor. 11.

nō est, id quod pro peccatis sacrificiū sit, idē quoq;  
 quod saluet id ipsum esse, quod si Missa siue incan-  
 tatus illic panis, sacrificiū est pro peccatis, Missam  
 sane aut sacramentum illud (quod ita fulgo uocari)  
 non autem passionem ac mortem Christi nos salua-  
 re sequitur. Sed hic papistarū plusquam brutalem  
 inscitiam uidere est, quanquam enim Missæ execra-  
 tionis sacramentum (id quod nullo pacto fieri po-  
 test) messet, attamen uel inuiti, sacramentorum offi-  
 cium ac usum se eousque non extendere (quemad-  
 modum proximè præcedenti sectione docuimus) ut  
 faceantur, oportet. Sed quo magis Dei institutis  
 aduersentur Romanenses, Patrum oraculus se quo-  
 dāmodo ornari cupiūt. Diuum enim Augustinum,  
 Ambrosium, ac reliquos (quorum authoritatibus  
 etiam innitantur) missam sacrificium uocasse con-  
 tendunt: aiunt etiam id ex Malachia propheta pro-  
 bari, qui Deum Isrælitico populo loquentem in-  
 troducat hoc pacto: Nō est mihi uoluntas in uobis,  
 dicit Dominus exercituum, et munus non suscipi-  
 am de manu uestra, ab ortu enim solis usq; ad oc-  
 casum, magnum est nomen meum in gentibus,  
 et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini  
 meo oblatio munda, quia magnum est nomen me-  
 um in gentibus, dicit Dominus exercituum. Ex hoc  
 Missarij doctores, sacrilegium Missæ, sacrificium  
 esse cōtendunt, quod quidem ab oriente in occiden-  
 tem fiat. Verum priusquam istis nugis respon-  
 deam, lectores rogatos uolo, ut quam friuole, acri-  
 dicile hæc ab aduersarijs hic proponantur, diligen-  
 ter ani-

ter animaduertant. Principio igitur sciendum est, Papistæ, ad huius quam de hoc Babylonico scoto conceperunt, fantasticæ opinionis tuitionem, ueteres (quasi huic imposturæ subscribāt) adducere nullo modo debere. Nam dum cœnæ Domini mentionem faciunt, sacrificij uocabulo plerumq; uti patres non negamus. Verum illos interea nil aliud illic quam ueri à Christo in cruce pro nostris peccatis peracti sacrificij memoriam intelligere, imò Christum semper sacrificatore uocare animaduertimus. Atq; ne id (ut uestra sunt omnia) somnium esse existimeris, uenerandi Missæ Antistites, Augustinum et de re (si libet) audite: Hebrei, inquit, animalia bruta sacrificantes, in prophetia à Christo oblate hostie se ipsos exercebant. Christiani uero in oblatione ac communione corporis Iesu Christi, iam perfecti sacrificij memoriam celebrant. Quod igitur in suis scriptis paßim sacrificij seu oblationis utantur uocabulo ueteres, nullam sane aliam ob causam fieri appetit, quam quod cœnæ Domini celebratio, sit memoria, imago, ac ueri uniciq;, ac singularis (quo Christus nos redemit) sacrificij attestatio, quam quidem paßim etiam sacrificium laudis uocari in patrū scriptis legimus. Plura ad hanc rem ex Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo, ac alijs (imò etiam sententiarum Magistro, quem quidem Missæ propugnaculum esse putant papistæ) hic adducere possem, sed repellendis huiuscmodi contra heritatem ineptijs, ulterius ut insisterem, consultum non uisum est. Quod si etiam doctorum omnium

Cont. Faust.  
Lib. 20. c. 15.

Lib. Sent. 4.  
d. 9. 12.

nium caterua, hanc abominationem sacrificium esse (quod sane nunquam somniarunt) affereret, attamen ut in illorum iuremus uerba (etenim præter uerbum Dei id sentire esset) nemo nos compellere potest. Nam quandoquidem ea res fidem (salutis nostræ basin) concernit, ut in uerbo Dei, non autem hominum inuentis, alijsq; humanis apparentijs fundata sit, necesse est: nec ullo pacto ut à præscriptio-  
ne temporis dependeat, est concedendum.

Quod uero ad suprà allegatum Malachie lo-  
cum attinet. Papistas, uerbiq; Dei falsarios, pro-  
phetæ scriptum hic misere corrumpere ac adulte-  
rare certum est. Nam si hac sententia suam opi-  
nionem tueri uolunt, in primis prophetam de hac  
Missæ execratione locutum esse probent, necesse  
est. At (inquiet) in omni loco offerri hostiam mun-  
dam Domino afferit, id nemo negat. Sed dicite (ama-  
bo) an ne oblationem eiusmodi mundam, Missæ i-  
dolum propterea esse affirmat? Si id dixeritis, tota  
sanè aberrabitis uia. Quid igitur? Mundæ tantum  
oblationis meminit quidem: que autem illa sit, sub-  
ticit prorsus. Igitur priusquam id quod afferunt  
aduersarij ueritati consentaneum esse nobis per-  
suadeant, necesse est, primum ut Missam sacri-  
ficium esse, ac tum demum prophetam eius hoc lo-  
co mentionem facere, (quod quidem ne unica sa-  
cra paginæ syllaba efficere unquam poterunt) pro-  
bent. Interea tamen fingamus prophetam hic de  
corne Domini sacramento loquutum, quod qui-  
dem

dem tum sacrificium esset, ac in omni loco offer-  
 terur. Domino &c. quid inde ergo lucri adhuc  
 consequentur papistæ? His etenim ducibus alter-  
 candi gratia illis adhuc concessis, necesse tamen  
 est, ut id sacramentum expiatorum sacrificium pro  
 peccatis (sicuti Missam hoc fungi munere, nuga-  
 tur) esse doceat. Interea tamen uerum est, coenæ Do-  
 mini sacramentum (propterea quod illic inenarra-  
 bilis nobis per Christum concessi beneficij memo-  
 riam agemus, mortemq; Domini annuntiamus) non  
 iniuria sacrificium, sacrificium (inquam) laudis  
 ac gratiarum actionis uocari posse. Verum expi-  
 tionis peccatorum sacrificium coenam Domini  
 esse (ut de hac Missæ execratione taceam) asser-  
 re hic prophetam, nemo mihi unquam persua-  
 dere poterit. At dicet papistarum aliquis, quo pa-  
 ctio igitur prophetæ uerba, ac de quo hic loquatur  
 sacrificio intelligemus? hic sane (quanquam hoc lo-  
 co prophetam non interpretari, uerum cursorie  
 quodammodo rem aperire sit animus) duarum su-  
 perius in huius ultimæ partis sectione prima, à no-  
 bis propositarum specierum (expiatorum scili-  
 cet sacrificiorum, ac laudis siue gratiorum actio-  
 nis) ut recordemur operæ preцium erit. Notandum  
 igitur, sub hac alteri sacrificiorum specie, omnia  
 que in proximum exercemus charitatis officia  
 comprehendendi. Quæ sane quodammodo offerri ui-  
 dentur Deo, ut eo pacto glorificetur in suis mem-  
 bris. Sub hac etiam specie quicquid gratiarū actio-  
 nis, ac bonorū operum agimus, ad honorē Dei, in-  
 cludi

cludi debet. quod quidem omne (uel ipso testante A-  
 postolo) sacrificij uel oblationis loco esse potest. in  
 terea uero oblationes huiusmodi non ab hominum  
 iuuentis, sed eminentiori sacrificio summi sacerdo-  
 tis, utpote Christi, dependent. Non enim extrinse-  
 cus actiones huiusmodi nostras diuino seruitio ac-  
 commodari sat est, uerum nos prius per fidem, in  
 unicum ac solum expiatorium saluatoris nostri pro-  
 nostris peccatis sacrificium Deo acceptos esse o-  
 portet, ut tandem quicquid in nobis est, ad ipsius,  
 sueq; maiestatis gloriam accommodetur. Atq; hic  
 sacrificandi modus, nec irae dei satisfacere, nec re-  
 missionem peccatorum impetrare, multo minus u-  
 stitiam nobis coram Deo promererri (quemadmo-  
 dum superius docimus) ullo modo potest. Et enim  
 gratum Deo id sacrificium esse non poterit, si ab  
 his qui prius peccatorum obtenta remissione re-  
 conciliati, ac aliunde, hoc est, per sacrificium Chri-  
 sti iustificati fuerint, processerit, adeoque id sacri-  
 ficium in Ecclesia necessarium est, ut nullo modo  
 ab ea abesse queat. Eternum igitur sit, ac quanto  
 quo superstes erit populus Dei tempore, tanto eii-  
 am ut duret, necesse est. hoc igitur pacto Malachi-  
 am de sacrificio loquentem hic intelligere est. Ete-  
 rim huiusmodi sacrificia laudis, in omni fiunt loco,  
 suntq; spiritualia. Sed ne haec ex nostro capite  
 deprompta esse existimes, quisquis es hypocriti-  
 ce Missæ defensor iubet Apostolus nos exhibere  
 corpora nostra in hostiam uiuentem sanctam, Dei  
 placentem, rationabile obsequium nostrum hic san-  
 Paulus

Paulus propriè magis nunquam loquitur, nisi dum addidit, id rationabile obsequium nostrum reddamus Deo. Etenim, illuc spiritus Sanctus conseruendi Deo modum præfixit, ac formam quādoquidem Mosaicæ legis carnalibus sacrificijs hoc pacto tacite opponere uoluit. Eodē etiam modo eleemosynæ, alięq; in pauperes Christianos factæ cotribulones, hostię uocantur ab Apostolo: Repletus sum (inquit) acceptis ab Epaphrodito, quæ misisti mihi in odorem suavitatis, hostiā acceptam placētem Deo. Item quod gratiarū actiones, alięq; huiusmodi hostia dicātur. Author Epistolæ ad Hebræos testis est, Per ipsum, inquit, offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomen eius. Imò & Oseas propheta huius faciendi spiritualis sacrificij meminit, Omnem (inquit) aufer iniquitatem, & accipe bonū, & reddemus uitulos labiorum nostrorum. Idem etiam psalmista fatetur, Non accipiam (inquit) de domo tua bouem, neq; de uitulis tuis hircos. ac subiicit, Immola Deo sacrificium laudis, &c. Atq; hinc uidere est, non ex proprio nostro capite, sed puro uerbo Dei nos hæc proferre, non (inquam) somnia nostra, siue aniles fabulas (quemadmodū Papistæ) hic extollimus, sed solo uerbo de inui \* . At quod aduersarij hoc loco ex saeris literis aliquid habeant præsidij, mirum non est: tenebras etenim pro luce defendi, ac nugas ueritatis splendore tueri, est impossibile.

Sed ad huius loci intellectum habitis, restat ut missam nullo modo sacrificium esse ostendamus. sed

Philip. 4.

Heb. 13.

Ole. 14.

Psal. 50.

quādoquidem superius huius ultimae partis sectio-  
ne prima, hanc abominationem nullo modo remit-  
tere peccata probauimus, deductaq; illuc argumen-  
ta hoc maxime spectare uidentur, illa hic repetere  
nolui, uerūm lectores (ne idem sēpius repetatur) il-  
luc remitto. hanc enim execrationem sacrificiū non  
esse, ijsdem, quibus peccata remittere non posse di-  
ctum est, argumentis probari poterit.

Sed hæc interea ad superius de huius erroris re-  
futatione dicta ulterius ut adderem, non abs re mi-  
hi uisum est. Authorem nempe ad Hēbreos Episto-  
lae (quem si diligentius legissent papistæ, Missam sa-  
crificium esse nunquam asseruissent) huic impo-  
sturæ maxime aduersari. Plures etenim in ueteri  
lege sacerdotes, ob id quod morte prohiberentur,  
permanere, factos fuisse inquit: at Christi sacerdo-  
tium propterea quod in æternum maneat, sempit-  
ernum esse, ac inde saluare in perpetuum acceden-  
tes per semetipsum ad Deum. Tum subdit, hoc qui-  
dem ueteris Testamenti sacerdotes, siue sacrificia-  
tores, aut pontifices, non solum pro peccatis po-  
puli, sed etiam suis proprijs quotidie hostias obtu-  
lisce: at Christo, sancto, innocent, impolluto ac à  
peccatoribus segregato, ut pro suis, ac populi pec-  
catis quotidie offerret, necesse non fuisse. quodq;  
maiis sit, legem homines peccatores quidem, ac  
infirmitati obnoxios sacerdotes ac sacrificatores  
constituisse, sed uerbum Dei iureiurando confir-  
matum, Iesum Christum filium Dei sacerdotem or-  
dinasse in æternum. Ex his duo in primis notatu-  
digna colligenda ueniunt. Primum neminem sacri-

ficiūm acceptūm Deo pro peccatis offerre posse  
 prēter Iesum Christum, qui quidem purus, mundus,  
 ac ab omni peccato innoxius, sacrificator æter-  
 nus, ac consumatus, se ipsum semel pro mundi to-  
 tius peccatis obtulit, adeò quod sacrificator sacri-  
 ficiūm, ac ē diuerso sacrificiūm sacrificator existat.  
 Etenim, ut pro peccatis offerri queat, non solum ut  
 sacrificiūm purum, mundum, ac ab omni labe alien-  
 um sit, requiritur: uerū sacrificatorem ex se eti-  
 am purum, ac mundum esse (ne pro suis etiam pec-  
 catis illūm offerre oporteat) necesse est. Scimus e-  
 nem (ut hoc ad rē accōmodo exēplo mihi uti liceat)  
 inter homines id moris esse, ut siquid muneris cui-  
 quā offerēdū, illi, qui id accepturo gratus nō fit, tra-  
 datur, nihilominus quāuis ex sui natura id muneris  
 preciosū fit: attamē illi, quialias id accepturus erat,  
 ea de causa, quod offerēs nō usqueadē sibi fit ac-  
 ceptus, id omne, quicquid erit, gratū nō fore. Quā  
 doquidē igitur sacrificaturo pro peccatis, ab omni  
 peccato (quod quidē solū Deus abhorret) immunis  
 uis sit necesse est, qui fieri poterit unquā, ut hi missæ  
 sacrilegi, pro peccatis sacrificiūm offerre possint?  
 Quod si Christū ipsum etiā suis impuris manibus sa-  
 crificarent denuō, illud tamen sacrificiūm pro pec-  
 catis, nullius effectus esse ideo constaret, quod u-  
 trungs (uti diximus) sacrificiūm scilicet ac sacri-  
 ficiatorem, ab omni labe ac peccato immunem es-  
 se oporteat. Atqui à peccato esse immunis mortali-  
 um nullus (papisticos uentricolas taceo) unquam  
 repertus est. Eam igitur ob causam Christū solum

immaculatum sacrificatorem, immaculatā hostiam  
 pro peccatis nostris offerre oportuit. Alterum  
 quod modò ex Epistola ad Hebræos colligi debere  
 dicebamus, id est quod in præfatione superius atti-  
 gimus, nempe inter mortales pro peccatis sacri-  
 care, nemini concessum esse. Christus etenim ut se-  
 pe dictum est, seipsum semel in perpetuum in cruce  
 pro totius mundi peccatis obtulit. Si igitur sacrifi-  
 cium Christi pro peccatis suffecit semel in perpe-  
 tuum, cur uocatio confremus? Quid cause erit,  
 rogo, ut id toties repetamus? Quis (quæso) neoteri  
 cos hos sacrificatores tam efficaci, ac admirabili sa-  
 crificio Iesu Christi, hoc suo Missæ sacrilegio dero-  
 gare non dirimit? Nōne inde hoc tam excellens sal-  
 uatoris nostri sui ipsius pro peccatis nostris sacri-  
 cium non satisfecisse (quod absit) dicendum foret?  
 Hanc igitur execrationem Missæ, nullo modo pro  
 Heb. 8. peccatis sacrificium esse concludimus. Ulterius  
 in eadem epistola, Christum melius sortitum esse mi-  
 nisterium dicitur, quanto etiam melioris testamenti  
 (quod quidem melioribus promissionibus est sancti-  
 tum) mediator existat, ac tandem quale sit id testa-  
 mentum declaratus Apostolus, allegat prophetā  
 in hunc modum, Hoc testamentum quod disponam  
 domui Israel post dies illos dicit Dominus, dando le-  
 ges meas in mentem eorum, in corda eorum inscri-  
 bam eis, & ego ero illis in Deum, & ipsi erunt mi-  
 hi in populum. Tum subdit, Et propius ero ini-  
 quitatibus eorum, & peccatorum eorum non re-  
 tardabor. Ex his uerbis, nullum aliud quam quod  
 Saluator

Saluator noster, ac summus pontifex Iesus Christus in cruce semel obtulit sacrificium pro peccatis esse debere, facile appareat. Inquit etenim Dominus, se daturum nouum Testamentum, quo mediante, omnium iniquitatum populi sui: hoc est, fidelium, non reminiscatur. Hic sane appareret, ac Sole ipso clarior est, Deum semel in perpetuum pacificatum esse, mediante scilicet Iesu Christo, per quem hoc testamentum stabilitum (ut ita dicam) ac sacrificio semel in perpetuum pro peccatis nostris in cruce oblato, ratum consummatumque esse credimus. Scimus etenim iram Dei, nisi (ut ita loquar) super Christum dispersa esset, nullo pacto sedari potuisse. Id quod sensit Propheta, Ipse vulneratus est (inquit) propter iniquitates nostras, Ela. 93 attritus est propter scelerata nostra, disciplina pacis nostrae super eum, et liuore eius sanati sumus. Si igitur per unicum sacrificium Christi ira Dei sedata est in perpetuum, adeò quod peccatorum ac iniquitatum fidelium non reminiscatur, aliud sane pro peccatis sacrificium querere non est necesse. Etenim si alia à nobis sacrificia pro peccatis expeteret Deus, sequeretur sane, illum iniquitatum nostrarum non penitus oblitum esse. Quod quidem inter alia huic tam aperto Prophetæ testimonia aduersaretur.

Præterea, eadem in Epistola, inter Legis veteris sacrificatores, ac Christum differentiam trans Apostolus, Leuiticum sacerdotem semel in anno Sancta sanctorum ingressum, inquit, non qui Heb. 93

dem sine sanguine, quem pro sua populiq; ignoratia offerebat. Inquit etiam ulterius, huiusmodi sacrificia secundum conscientiam perfectum reddere nequiuuisse, aut sanctificare sacrificatorem, sed Christum summum futurorum bonorum pontificem, semel sancta sanctorum ingressum per proprium sanguinem, æternam redēptionem inuenisse testatur. Additq; insuper, citra effusionem sanguinis remissionem peccatorum fieri non posse. Ulterius etiam, hęc sancta sanctorum, quæ ingressus sit Christus, declarans, illa quidem cœlum esse, quod ingressus sit ut appareat ultui Dei pro nobis: non autem ut seipsum sepe offerat, aut ab alijs offeratur concludit, ac etiam quod semel sub consummatione seculorum, per hostiam suam, hoc est, semetipsum separuerit ad destitutionem peccati. adeò quod siue statutum fit hominibus semel mori, ita semel oblatus fit ad exaurienda multorum peccata. Anne hęc tota disputatio Missæ, idolum nullo modo sacrificium esse ostendit? Inquit etiam Apostolus, sacrificijs ac oblationibus hominem nullo pacto secundum conscientiam sanctificari, hoc est, à peccatis liberari potuisse. Scimus enim, sacrificium Iesu Christi pro omnibus electis (nec illis solum, qui peccauerunt: uerū qui peccant, ac in futurum peccaturi sunt) oblatum esse in cruce. Quod quidem testatur Ioannes, inquiens, Christum propiciationem esse pro peccatis nostris, non solum autem nostris, sed etiam totius mundi, quāsi diceret, Christus sua morte sustulit peccata mundi ac

di, ac credentes in illum redemit, hoc est, sanctifi-  
cavit, lauit, purosq; ac mundos ab omni peccato  
reddidit, suoq; sacrificio in conscientia tranquil-  
los ac pacificos, gratiaeq; Dei, hoc est remissio-  
nis peccatorum, ac reconciliationis erga Deum  
tutos, ac securos fecit. Ad eundem etiam scopum  
tendit, quod ulterius in eadem Epistola dicitur,  
Christum nempe æternam redemptionē inuenisse:  
quasi diceret Apostolus, nobis per sanguinem Chri-  
sti in suo sanguine liberationem à peccato, diabo-  
lo, ac morte æterna, uobis, inquam fidelibus, con-  
tigisse. Quòd si hanc liberationem perpetuam, ac  
æternam, ut & sacerdotium Christi esse oportet,  
cur quæso tantæ uesaniae existunt Romanenses, ut  
aliud pro peccatis sacrificiū excogitent? An ne solū  
Iesu Christi pro peccatis totius mundi sacrificiū se-  
mel in perpetuum oblatum, quo quidem æternā re-  
demptionē inuenit, adeò sufficiēs esse debet, ut præ  
ter id alia, quæcunq; sint ab hominibus excogitata,  
abominationis plena habēda sint? Cūm autem in  
eadem additur Epistola, sine sanguinis effusione re-  
missionem peccatorum non fieri, quid quæso hic a-  
liud innuit Apostolus, quād quod in sacrificio pro  
peccatis, hæc duo necessariò ut adsint oportere, pri-  
mū ut effundatur sanguis, ac deinde ut remittatur  
peccata? Necessarium igitur fuit, Christum in pec-  
catorum remissionem proprium sanguinem ( et-  
enim hircorum sanguis ad id non proderat ) ef-  
fundere, sed in hac execratione Missæ nullus san-  
guis effunditur: sacrificium igitur ut sit pro

Rom. 5.

Heb. 9.

peccatis est impossibile. Inquit ulterius hic Apo-  
 stolus, Iesum Christum cœlum ingressum, ut nunc  
 pro nobis uel tui Dei appareat, non autem offerat  
 semetipsum, alioquin oportuisse illum frequenter  
 pati ab origine mundi. quibus sanè uerbis satis eui-  
 denter ostendit, Christum semel pro peccatis esse  
 oblatum, sufficere: ueramq; impietatem, imò carni-  
 ficiam esse, illum tam sepe in sacrilegio Missæ sa-  
 crificare. Interea tamen Missarij isti carnifex, ni-  
 hilominus Christum in hac Missæ abominatione de-  
 nuò non solum pro uiuis sed et defunctis, offerre  
 Deo se impudenter iactant. At inquit Romanen-  
 ses, Missa nil aliud est quam medium, quo quidem  
 meritum passionis Christi applicatur hominibus.  
 Sed rogo, quis illos hoc docuit? Nōne parens totius  
 mendacij ac iniquitatis diabolus, huius quoq; com-  
 menti author est? Sufficit' ne quæso ubicunq; fidei  
 ac salutis nostræ articulus in disputationem incide-  
 rit, unico uerbo rem hoc aut alio pacto sese habe-  
 re calumniari? nihil minus sanè. Id enim ut sacræ li-  
 teris attestetur, necessarium est: sin minus, quecunq;  
 ad fascinando homines adduci possunt in medium  
 (quantumcunq; etiam rationi consentanea esse ui-  
 dentur) argumenta, irrita esse debent. Etenim ut  
 meritum passionis Domini applicetur hominibus,  
 solam fidem præstare superius sepe diximus: Qui-  
 cunq; (inquit Petrus) credit in Iesum Christum, illi  
 peccata remissa esse, certum est. Præterea (inquit  
 hic Apostolus) Christum semel apparuisse in con-  
 summationem seculorum ad destitutionem peccati  
 per

Heb. 9

Act. 10.13

per hostiam suam. Si igitur per sacrificium sui ipsius semel oblatum in cruce, peccatum sustulit Christus: quam ob causam alia innumerabilia sacrificia excogitatis? An ne id quod semel in perpetuum peractum est repetere denuo, oleum & operam perdere est? At missarum lenones replicabunt hoc pacto, Christum nempe pro peccatis semel ipsum in cruce obtulisse quidem, quapropter id eo pacto denuo offeratur non requiri. Verum in missa alio modo Christum offerri Deo patri, quo quidem sepius pro peccatis offerri possit. Sed huiusmodi asinorum tam frigidæ, tamq; ridiculæ ac frivole imaginationi, ut pluribus respondeatur, non est opere premium. Vbicunque enim est remissio peccatorum, iam non est amplius pro peccatis oblatione. His sane uerbis, ut bellicis tormentis totum hoc quicquid est missæ ædificium facillime demoliri ac dirui, hisq; gladijs scortum hoc Babylonicum iugulari poterit. Sed ulterius arguent Missæ propugnacula, ac se in missa nullum aliud sacrificium offerre, ac sepius repetere, quam id ipsum, quod Christus obtulerit, contendunt. Verum nonne hoc egregium inuentum est? Quid enim inde sequitur? Nil sane aliud, quam quod deliberato animo sepius Christum (qua in re, ferocitate Iudeos precellere uidentur) cruci denuo affigant. Iudei etenim, Christum Messiam illis promissum ignorantes, illum cruci affixerunt. At nepharij isti carnicies, se Christum nosse gloriantur. Interea tamen in hac execratione, ex professo illum denuo

cruci affigere uideri uolunt. Sed quid multa? Facile  
 sanè ex suprà memoratis, inter alia Apostoli argu-  
 mentis, extra oblationem Christi in cruce semel in  
 perpetuum factam, nullum penitus pro peccatis sa-  
 crificium aut holocaustum esse apparet. Conclu-  
 dendum igitur, nec hanc execrationem misse, nec  
 illuc etiam ementitum sacramentum pro peccatis,  
 nullo modo sacrificium esse posse. Sed inquit ali-  
 quis, quo pacto igitur remissio peccatorum semel  
 per sanguinem Christi facta esse dici poterit, cum  
 illa iudicis per poenitentiam contingat hominibus?  
 Nonne etiam ut remitti nobis peccata rogemus,  
 nos docet Saluator noster Mathei sexto capite?  
 Quid si semel remissa sunt, cur rogo adhuc, ut no-  
 bis remittantur, petere à nobis requirit? Sed huic  
 obiectioni respondere non est difficile. Cum enim  
 per solum sacrificium Iesu Christi nobis remissa  
 esse peccata, inquit Apostolus, id de præteritis non  
 solum, sed præsentibus ac futuris intelligendum est,  
 id quod Ioannes (ut diximus) testatur, dum Chri-  
 stum pro totius mundi peccatis propitiationem es-  
 se afferit. Petrus item, dum inquit, Christum pec-  
 cata nostra pertulisse in corpore suo super lignum  
 crucis. Esaias item idem testatur, inquiens: In eo,  
 1. Ioan. 2. (Christo scilicet) Dominum posuisse iniquitatem  
 1. Pet. 2. omnium nostrorum, &c. Atque hos sacrae Scriptu-  
 re, aut similes locos hoc pacto intelligere oportet, ut Christū omnimode, ac absolute, iudicio Dei  
 pro peccatis satisficeret, nullamq; aliam pro illis sa-  
 tisfactionem Deum postulare dicamus, adeoq; sa-  
 crificium

crifcium Christi ad iram Dei sedandam fuisse effi-  
 tax, ut aliam peccatorum remissionem aliunde pe-  
 tere (propterea quod nulla alia illorum esse possit  
 satisfactio) impium sit. Dum autem per poeniten-  
 tiā indies peccata nobis remitti dicitur, id ad nos  
 ut referamus oportet. Etenim id fide (quæ quidem  
 poenitentiae coniuncta est) apprehendimus, subin-  
 deg; in gratiæ ac misericordiæ Dei nobis per Chri-  
 stum in remissionem peccatorum factæ, cognitio-  
 nem peruenimus. Ex quo sane Christū pro suis ele-  
 ctis, non autem infidelibus (quibus passio, ac mors  
 sua prodeesse nequit) satisfecisse uidere est. Igitur  
 nec poenitentia, nec fides per se quidem remittunt  
 peccata, sed sola pura, ac mera gratia, ac misericor-  
 dia Dei per passionem ac mortem Domini nostri  
 Iesu Christi. At quod remissio peccatorum, poeni-  
 tentiæ ac fidei quodammodo imbui uidetur, non  
 aliam sit ob causam, quam quod fides tam inenarra-  
 bile beneficium apprehendat, ac tandem (ut supra  
 diximus) acceptet. Quod autem in Dominica  
 oratione indies nobis remitti peccata rogamus, fit  
 ut remissis peccatis maiorem eius gratiæ, hoc est,  
 remissionis peccatorum cognitionem habeamus,  
 quæ quidem cognitionis ac certitudo, hoc est, fides  
 ipsa, nequaquam tam firma in nobis unquam in  
 hac vita esse potest, quim assiduo in nobis crescat e-  
 uentu. Proinde, fideles quoties remimiscuntur pec-  
 catum, pro eorum remissione (nimirum, quò eius ta-  
 men narrabilis à Deo promissæ gratiæ certiores  
 reddantur) orant. Ac, quod maius est, pro remis-  
 sione

fione peccatorum ut oremus, Deus à nobis etiam postulat, ut inde nos peccatores obnoxios esse agnoscamus: quo fit, ut inde humiles redditi, sive erga nos ineffabilis gratiae nosmetipos admoneamur.

Supereft ad hanc sectionem, ut hoc in missa abominatione à Sathanā uocatum Sacramentum, sacrificij memoriam nullo modo esse ostendam. Et enim si (ut nugantur) memoria effet, uero sacramentum esse oporteret. At sacramentum nullo modo esse potest: sacrificij igitur memoria esse negavit. Etenim si sacramentum non esse ostendero, nonne id etiam sacrificij memoriam esse non posse, una probabo. Quandoquidem uero hac de re superius sepe disseruimus, ne idem sepius repetetur, hæc breuibus ad iam dicta addere uolui. Principio igitur usum sacramenti de illius natura ac essentia esse, necesse est: adeò sanè, quod ubique que uetus ad quem destinatum est, prætermittitur, illic etiam non esse sacramentum certo certius sit: at coenæ Domini uetus in susurrationibus uerborum (id enim, ut à fidelium communione sumatur, institutum est) non consistit. Igitur in hac execratione missæ, in qua uerus coenæ Domini uetus negligitur, sacramentum esse impossibile est. In missæ enim actu coenam Domini non communicari, sed à solo sacrificulo, quicquid illic consecratur, hoc est incantatur, deglutiri constat.

Vt autem sacramentum in usu consistere, sic, ut eo relicto abesse etiam sacramentum necesse sit, intelligamus facilius baptismi exemplo hic uti libuit:

buit: aqua sane baptismi eousque sacramētum permanet, quo usque super baptizando aspergitur, dum minister Ecclesie hæc uerba pronunciat,  
**Baptizo te in nomine patris & filij & spiritus sancti.** Quod si peracto baptismo, aqua baptismi in uas aliquod aut terram effundatur, tum sane non sacramentum, sed mera aqua est. Idem de cœna Domini sacramento dicendum est, ut quandocunque ex institutione Christi communicatur fidelibus, sit, maneatque sacramentum: quod uero extra communionem supereft, panis ac uinum tantum esse dicendum fit. Ex quo sane sequitur, hoc suum idolum, quod in suis cibarijs (ut vocant) reconditum habent Papistæ, minimè sacramentum, immò potius Sathanæ commentum (quandoquidem illuc sacramenti substantia: hoc est, uetus abest) esse. Affero igitur, quod sicuti aqua baptismi non obseruato illius usu, non baptismus, sed mera aqua est: ita etiam ubi uetus cœna Domini, eiusque institutio non obseruatur (hoc est, non distribuitur, non communicatur, uerum quicquid est solius sacrificulus deuorat) illuc nullo modo sacramentum esse. Cœna etenim Domini non particularis hominis, sed plurium est actio, quoniam uero misericordia singulariter à solo sacrificulo peragitur, illuc nec sacramentum, nec sacramentum,

atque adeò nec sacrificij memoriam esse, certum est.

## III. SECTIO PARTIS IIII.

**Q**uandoquidem totus huius à nobis suscep-  
tæ materiæ discursus, non de sacrosancta Do-  
mini cœna, quam quidem pro nostris pec-  
catis passurus, instituit Saluator noster, tamen apo-  
stoli summa cum reuerentia post \* hoc est, ue-  
ræ Christi ecclesiæ membris celebrandam relique-  
runt, institueruntq; Verum in hac missæ comœdia  
circa ementitum papæ sacramentum impietates,  
ut in propatulo haberì possent, ut plurimum curse  
nobis fuit, necessarium hic fore existimauit, si hanc  
execrationem nec à Christo institutam, multò mi-  
nus ab Apostolis, primitiuaq; Ecclesia obseruatam  
fuisse: sed illa omnia, Sathanæ commenta Roma-  
nis pontificibus mediantibus: hoc est, Antichristis  
tradita, esse ostenderemus. Si igitur hoc uoca-  
bulo Missæ, hanc totam ab Introibo, ad Ite  
missa est usque, abominationum colluuiem com-  
prehendi uelimus: id operis quicquid est in Satha-  
næ officina elaboratum, ac diuersis tandem tempo-  
ribus (prout parens ille mendacijs suos excitauit ar-  
tifices) datum hominibus esse afferro. Nec est quod  
te moueat (quisquis puriorem doctrinam ample-  
cteris) nebulones istos sacramentum suum à Chri-  
sto institutum contendere: ex superiori etenim di-  
ctis, multò aliter edocitus es.

Suis igitur impudentibus mendacijs inheren-  
tes Papistæ, huic suæ comœdiæ in primis Petrum  
addidisse Pater noster, fabulantur. Quod qui-  
dem diuum Iacobum Hierosolymitanum Episco-  
pum

pum auxisse (uerum quid illic addiderit, subtiliter)  
 aiunt. Tum demum, huius monstri fabricatores  
 quique, huic chimerae particulas quasdam addide-  
 runt, enumerant. Afferunt in primis, Cœlestium  
 papam, Iudica me Deus, illic addidisse. Da-  
 masum item (quamvis Pontianum eius authorem  
 fuisset, quidam contendunt) confessionem presby-  
 teri illic miscuisse aiunt. Introitum à Grego-  
 rio institutum uolunt: ac ut nouies Kyrie elei-  
 son caneretur, imperatum dicunt. Thelephoro  
 Gloria in excelsis tribuunt. Gelasium Col-  
 lectarum authorem iactant. Hieronymum, ut  
 illic Epistola ac Euangelium decantetur, iussisse af-  
 serunt. Quod ad Incensi usum spectat, id ex uete-  
 rum ceremonijs, aut potius gentilijs ritibus sum-  
 ptum esse apparet. Sextum primum ut Sanctus can-  
 taretur, ordimasse dicunt. Quod ad Canonem **Te**  
 igitur clementissime pater attinet, qui-  
 dam Gelasium principij authorem fuisset (cui qui-  
 dem Syriae pontifex **Communicantes** ad-  
 diderit) dicunt. Alexandro Inventionem **Qui**  
 pridie quam pateretur tribuit. Leonem  
 autem primum, Hanc igitur oblationem  
 fabricasse afferunt. Gregorium prectionum, Di-  
 esq; nostros in tua pace disponas, ac  
 etiam, Nosq; ab æterna damnatione  
 eripi iubeas, & cetera, ex cogitasse tenent.  
 Alij uero totius Canonis spurcias ac putidissi-  
 mas feces Scholasticum quendam cumulasse fa-  
 tuissime somniant.

Ut tamen tamen est, ex tam uarijs hic enumeratis sa-  
 toribus, hoc mendicatorum pallium, unius homi-  
 nis, nec eiusdem temporis opus esse, sed diuersis tam  
 pestatibus à uarijs Antichristis hanc impietatum  
 grandinem emanasse certū est. Gregorius item (in-  
 quiente in suo Irrationali Durando nostro) prefa-  
 tionem ad Pater noster, hoc est Oremus, præ-  
 ceptis salutaribus moniti (nimirū, inquit,  
 ut quādoquidem Scholastici oratio, hoc est, canon,  
 quod à scholastico compilatum plures opinantur,  
 cantabatur in Missa, Dominicam illuc orationem,  
 & quē illuc cātari opere pretiū uisum fuerit) adiecit.  
 Sergius item primus Agnus Dei hic decantari  
 uoluit. Quid multa uel Missæ magistris testibus, in  
 hac abominatione Christum (præterquam quod sui  
 incantati sacramenti institutionem illi falso adtri-  
 buunt) nil penitus ordinasse uidemus. Verum si quis  
 plura ad hanc rem desiderat, Platinam in uita Sixti  
 primi, Durandum item Irrationalis diuinorum li-  
 bro quarto, Vergilium item Polidorum de inuen-  
 toribus rerum libro quinto, capite decimo, legere  
 poterit. Sed animaduertendum hic uenit, illos  
 qui hanc execrationem diuinitus institutam asse-  
 runt omnes, in ea hæresi esse: propterea quod eam  
 ab incantato sacramento suo, ut digniori totius co-  
 mœdiae parte, denominari debere dicant. Quod au-  
 tem uarijs temporibus, & multorum additionibus  
 ornata sit, nil obstare quo minus à Deo instituta  
 esse dicatur. Huiusmodi enim argumentationes, or-  
 natus gratia, ac ut (quemadmodum loquuntur) sint  
 de bene

de bene esse, non autem substantia, illuc additas dicunt, Quò sit, ut de sua Missæ lacuna, idem quod de ingentibus fluminibus (quæ quidem, quamuis minimis fontibus orta, uarijs tamen fluuijs in se receperit maiora effecta nomen semper prius retinent, ut de Danubio, Rheno, Rhodano, alijsq; dici consueuit) dicendum sentiant. Verùm de uocabuio aut nomine, hic nobis non est sermo. quo enim pacto hanc suam abominationem uocent, Missæ ne, an sacramentum siue oblationem, susq; deque ferimus, sed potius quo authore sit instituta, inquirimus. Qua in re, hanc tam uarijs diuersisq; particulis compilatam farraginem, nec à saluatore nostro, nec A postolis institutam esse: sed à Romanis Antichristis satanæ Vulcanis, fabricatâ imposturam, ac in Christi, ac passionis eius delusionem ac libidinum traditam esse mundo, firmiter afferimus, ac credimus.

### III. SECTIO PARTIS IIII.

**H**oc loco omnes huius abominationis impie-  
tates in unum congerere non est animus, id  
enim conanti propè impossibile (quod tan-  
quam ex hydra lerneā aliud ex alio cōmentum re-  
nascatur) esse existimo. Aliquot tamen per transen-  
nam quasi singulariter attigisse hic sat erit. hoc et-  
enim toto huius nostræ Anatomiæ discursu, prout  
se obtulit occasio, de his abundē disputatum est.  
Sed inter præcipuas hic impietates hostiæ, suiq; ca-  
licis adoratio adnumeranda est: id enim summam ac

abominabile idololatriam esse constat. Sed ubi que  
so, miseri isti expiscati sunt, uera etiam (ut interim  
hanc execrationem omittamus) ac à Christo ipso  
instituta sacramenta adorari oportere? Inter ea ue-  
rò summa cum reuerentia, ut res sacras ac diuina  
instituta celebrari debere non negamus. At nullo  
pacto adoranda exhibita nobis esse, ne unico sacre  
scripturæ iota unquam probari poterit. Quemad-  
modum enim baptismum non adoramus, ita etiam  
nec cœnæ Domini sacramentum nobis adorandum  
est. In eum finem enim à Christo institutum non legi-  
mus. Verum capropter cœnam Domini nobis com-  
municari scimus, ut corpus ac sanguinem suum in  
cruce pro nostris peccatis oblatum esse, in memo-  
riam nobis reducat: ac tandem id, quod repre-  
sentat, illuc etiam una nobis porrigi nobis, certos nos  
reddat: hanc igitur ob causam, cœna in quam Do-  
mini nobis communicari (non autem, ut idololatri-  
co more illam cum papistis adoremus) solet. Nec est  
quod calceatæ istæ pecudes, hunc tam evidentem er-  
rorem antiquitatis pallio tegere statuant. Etenim  
uel papa Honorius (uixit etenim sub anno Domini  
millesimo ducentesimo uicesimo quinto) nobis testi-  
monio esse poterit, hanc idololatricam adoratio-  
nem non usq; adeò uetus tam esse. Ita enim inquit,  
ne propter incuriam sacerdotum diuina indigna-  
tio grauius exardescat, districte præcipiendo man-  
damus, quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco  
singulari, mundo & signato semper honorifice col-  
locata fideliter conseruetur &c. Hanc sane decre-  
talem

De celeb.  
Mistarum

talem si quis totam legerit, Honorium illic coram  
 Eucharistia sua inclinare populum mandare, non  
 autem illum adorare animaduertet. Ex quo profe-  
 gō se, aut eius ritus authorem esse, aut id moris non  
 usq; adeo longa tempestate inoleuisse profitetur.  
 Honorium etenim (si forte mos huiuscmodi inole-  
 uisset prius) eius authorem subticuisse, aut eius con-  
 suetudinis aliquo modo mentionem non fecisse, uix  
 credi potest. Sed subtiliter replicabunt aduersarij,  
 Iesum Christum quocunq; fuerit loco adorandum  
 esse: sed in illorum esse hostia, igitur illic etiam ado-  
 randum. huic tam lerido syllogismo sic responsum  
 uelim, ueram nempe adorationem actum esse fidei,  
 fidem uero citra uerbum Dei nullo modo esse pos-  
 se. Prouent igitur uerbo Dei, Iesum Christum in sua  
 hostia: ac incantato pane esse. Quod si fecerint (et  
 enim id nunquam prestatibunt) ium herbam (quod di-  
 citur) porrigemus, nosq; uictos esse fatebimur. Ver-  
 bo igitur Dei edocet, Iesum Christum sedentem ad  
 dexteram Dei patris adoramus. At in papistas De-  
 um suum impanatum citra ullum mandatum Dei  
 adorantes, id quod Samaritanæ, inquit Christus, iu-  
 redicere poterimus, nempe illos, quod nesciant a-  
 dorare. Plura ad huic locum adducere possem, quæ  
 guidem breuitati studens, prætereo. Alia est in  
 hac execratione impietas, nimirum quod Iesu Chri-  
 sti uerba ex Euangelio rapta quidem, ac huic im-  
 posture accommodata, submisso adeo hic murmu-  
 rari soleant, ut illa nemo audiat, nedum intelligat:  
 id quod sanè mandato Christi, quo prædicari

Luc. 24.  
 Mal. 16.  
 Act. 1.2.3.  
 Ephe. 4.

Ioan. 4.

euangelium omni creaturæ præcepit, maxime ad-  
 uersatur. Quid enim uerba illa continent aliud,  
 quam quod Iesus Christus corpus, ac sanguinem su-  
 um dederit in redemptionem nostram, ac remissio-  
 nem peccatorum? An non id omnibus Christi fide-  
 libus, ut prædicetur, necesse est? Si sycophante isti  
 pietatis aliquod specimen præ se ferrent, nonne in  
 eo à ueteribus in coenæ Domini obseruatum ordi-  
 nem obseruantes, hæc uerba altiori, ac omnibus in-  
 telligibili uoce proferrem? Sed Missæ patroni egre-  
 gia hic diffugia excogitant, ac inter alia, hæc sub-  
 missius proferenda afferunt, ne sacra forte uerba  
 profanari, ac sperni à plerisq; contingat: id quod  
 eo temporis, quo canon alius cantabatur, accidisse  
 dicunt, quod factum, ut passim publicè à laicis inter  
 compotationes caneretur. Ex quo etiam semel ac-  
 ciderit, ut ruri canonis uerbis, ac (ut inquit) sa-  
 cramentalibus à pastoribus recitatis, panis super  
 impositus lapidi uirtute uerborum, in carnem trans-  
 mutatus fuerit. Quapropter, igne de cœlo missio,  
 omnes quotquot aderant suffocatos esse, atq; eam  
 ob causam motos fuisse patres, ut à sacerdotibus  
 tantummodo, ac sacris induitis uestibus, in Missa so-  
 lium submissè recitari, sub anathemate præcepe-  
 rint: hoc pacto sentit in suo irrationali Durandus  
 noster. Sed est ne anus usqueadè decrepita, quæ fri-  
 uolam magis, ridiculamq; possit narrare fabulam?  
 Verum non mirum est, si nos istos lactucis abieciis  
 carduis semper inhærere. Similes etenim semper (ut  
 dicitur) habent labra lactucas. Subsequitur aliud in  
 hac

hac execratione abusus, nempē dum mors Domini  
 neutquam adſſentibus annuntiatur. Quotiescun <sup>1. Cor. 11,</sup>  
 que enim (inquit Apostolus) manducabitis panem  
 hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunti-  
 abitis, donec ueniat. At, bone Deus, quo pacto in  
 hoc Miffe barathro annuntiari poterit, ubi eius  
 nulla gratiarum actio, nulla memoria, nulla deni-  
 que uerbi Dei est prædicatio? Alius est error,  
 dum sacrificulus nil alijs distribuēs, solus omnia de-  
 uorat. Quodquidem uel missatoribus ipsis hanc su-  
 am execrationem communionem uocantibus, maxi-  
 me aduersatur. Christus etenim sacratissimam fu-  
 am coenam, ut communicaretur, non autem à priua-  
 to pro alijs sumeretur, instituit. Apostolus itē, Itaq;  
 fratres (inquit) cūm conuenitis ad manducandum,  
 muicem expectate. In hoc sane Corinthies taxat  
 Apostolus, quod in celebratione coenæ Domini  
 non communicarent, Iubet igitur, ut alius alium ex-  
 pectet, ac sic communiter coenam Domini cele-  
 brent. At nebulones isti, hanc doctrinam negligere  
 non ſolum non uerentur, uerum etiam illam peni-  
 tus præteruerunt, deq; tam egregio ſcilicet faci-  
 nore triumphos agunt. Quod si tam acriter Co-  
 rinthios quod alius aliū non præſtolaretur (quan-  
 quam etiam tum quifq; sacramenti huius fieret par-  
 ticeps) reprehendit, qua uehementia (quæſo) iſtos  
 pamphagos qui quidem ſoli id quicquid eſt, deuo-  
 rant, reprehensiu[m] Apostolum existimas? Sed ut  
 perfrictæ ſunt frontis, uerbis Christi (dum ſuis im-  
 puris labijs proſtrūt) Accipite, & comedite

omnes) se iniuriam facere susq; deque ferunt.  
 Quod si in eo se institutum Christi non obseruare  
 audiunt, tum aut obmutescunt penitus, aut ne quid  
 prorsus respondisse videantur, Christum tum tem-  
 poris discipulis suis, non autem alijs locutum fuisse  
 nugantur. Sed quanto magis impudentiam suam te-  
 gere nituntur, tanto etiam magis inscitiam suam  
 omnibus detegunt. Scitur etenim, discipulos suos ad  
 ministrationem sacrameti huius, Christum his uer-  
 bis docuisse: que si propter discipulos tantum pro-  
 tulisset, sane quo pacto cena Domini in posterum  
 alijs comunicanda foret, ignorassent homines peni-  
 tus. Sed quid refutandis horum asinorum ineptijs  
 ac delirijs amplius insisto? Quintus hic abusus  
 sequitur, dum hanc execrationem rebus omnibus  
 ac negotijs accommodant papistæ. Impetranda et-  
 enim pluiae deseruit, serenitatem aeris confert, tem-  
 pestatibus obest, bello est contraria, uitandæ anno-  
 næ gratia cantatur, pestem, uaria item morborum  
 genera curat, ad abundantiam bonorum, ac pacem  
 consequendam confert, pro peregrinantibus habe-  
 ri solet, sponsis prodeesse creditur, fugat hostes, pro-  
 dest uiuis ac mortuis, ac (ut semel finiam) omnis ge-  
 nteris negotijs accommodari potest. In diuae item  
 uirginis Mariae, Angelorum, sanctorū, sanctarumq;  
 honorem canitur, pro eleemosynas largientibus,  
 pro nauigantibus, captiuis, pro quibuslibet uitan-  
 dis afflictionibus, pro consequenda sapientia, pro  
 imperatore, rege, papa, alijsq; decantari consue-  
 uit. Si quid amissum fuerit, cuius recuperationis nul-  
 la spes

la spes est tum ad Missam recurritur. Bobus item,  
 uaccis, equis, asinis, omnibus denique pecudibus  
 Missa eque prodest. Verum hanc abominationem  
 tam diuersis rebus inseruire non est mirum. Etenim  
 Missæ fabricatores multò plus authoritatis omni-  
 bus Apostolis sibi uendicasse appetet. Veris etenim  
 Euangelij predicatoribus ac Apostolicorum dog-  
 matum sequacibus (testante Paulo) ad ædificandū,  
 non autem destruendum authoritas data est ac po-  
 testas. Iстis uero Missæ prostitutoribus, omnia deua-  
 stare, preteruertere, ac destruere concessum esse ui-  
 detur. Tantæ enim se authoritatis esse iactant, a ne-  
 mine ut reprehendi possint. Quod quidem uel ex  
 hoc patet. Christus etenim sacramentum cœnæ suæ  
 in memoriam passionis eius in sua Ecclesia cele-  
 brandum, donec ueniat, instituit: ē diuerso uero, sa-  
 crilegi isti, Missæ suæ abominationē (cuiusquidem  
 digniorem partem cœnæ Domini sacramentum  
 esse falso afferunt) in Dei despectum mille supersti-  
 tionibus applicant. Sextus abusus est, dum sacri-  
 ficiulus illi cui libuerit Missam, patri utputa, matri,  
 amico benefactori, aut (quod plerunque fieri asso-  
 let) illi qui eam maioribus numis mercatus fuerit,  
 applicat. Quod si hæc excæatio tantæ, ut jactant,  
 efficaciam esset, qui fieri unquam posset, ut impu-  
 ris istis Missarum mangonibus huiusmodi Missæ  
 (si que illic inessent) beneficia, impertiri alijs po-  
 testas daretur? Etenim beneficia huiusmodi Christi  
 esse dicunt papistæ: quod si ita esset, quo pacto qua-  
 so Missatores, quod suum non esset alijs impertire

Citram sacrilegij suspicionem possent? Subsequitur alia hic impietas, qua Missarum aliam, alia solennem magis esse persuadent, idq; omne ad ceremoniarum suarum pompas referunt. Qua in re, Iudeos, imò gentiles potius (qui idola sua uarijs, iisdemque ridiculis ceremoniarum modis colere consueuerant) imitantur. Quandoquidem uero in uera adorationis, hoc est, spiritus ac ueritatis tempora incidimus, huiusmodi nec Iudaicas etiam ceremoniarum pompas obseruare debemus. Etenim cum sacra menti dignitas ex re illic significata, ac etiam institutore procedit, ut hac, quam altera uice solennis magis sit, dici non potest. Est et hic enormis abusus, dum eo quo quis Missam audierit die, illi nil sinistri accidere posse nobis persuadere nituntur. contrarium etenim experientia, uarijsq; casibus saepe animaduersum est, Nam Victorem duodecimum summum Antichristū Romanum, ob id quod uenenum uino incantato mixtum hauserat, eō ipso, quo Missæ interfuerat die, perisse legimus. Henricus itē septimus Romanorū imperator, sub impanato deo uenenum sumpsit, quoquidem necatus est anno Domini millesimo trecentesimo tredecimo. Sed quid pluribus exemplis immoror? indies sane miserias has bestias, quamquam Missis interfuerint, misere tamen perire animaduertimus. Grauitate errant papistæ, dum pro personarum dignitate Missam alteram altera digniorem esse aiunt. Episcopi enim Missam, quam simplicis sacerdotis digniorem dicunt: Abbatis item, quam miseri cuiuspiam

in spia calefactoris, aut alias culinarij monaculi, par  
rochi item quam asinini cuiusdam communis gene  
ns sacrificuli Missas pluris faciunt. Quod quidem  
ex illarum precio facile apparet, alteram enim al  
tera multo uedi carius certum est. Ex quo sane, hos  
nebulones Deum (apud quem nulla personarum  
aut dignitatum respectus est) ac homines aperte il  
ludere facile perspicitur. Impie item agunt, dum  
hanc abominationem à diabolo quidem fabricatā,  
mediantibus uero hominibus mundo traditam, &  
quē ac diuinum mandatum obseruari præcipiunt,  
Id quod sane aperto Dei uerbo repugnat, dum per  
Mosen inquit, Quod præcipio tibi, hoc tantum fa  
cito, nec addas quicquam nec minuas. pugnat item  
cum dicto Esiae, ubi Deum hominum traditioni  
bus coli non posse, docet Propheta: quamquidem  
sententiam allegat Christus Matthæi quindecimo.

Ex hac execratione emergit et alius error, dū  
Papistæ, sacrificulos angelis, imò etiam diua uirgi  
ne Maria plus authoritatis habere inquiunt. Quod  
quidem probant hoc modo. In Missa fit transsub  
stantiationis corporis et sanguinis Christi. At, nec  
Angelis, nec diuæ etiam uirgini, huius facienda  
transmutationis authoritas data est, sed presbyteris  
tantum. Presbyteri igitur, maiori authoritate ac  
dignitate prædicti sunt. Quodq; ( inquiunt ) maius  
est diua uirgo octo uerbis, hoc est ( ecce ancilla Do  
mini fiat mihi secundum uerbum tuum ) ut Christus  
uentrem ingredetur uirginalem effecit. At pres  
byter, quinque tantum prolati uerbis, nempe, Hoc

Deuter. 12. 4

Esa. 2. 9.

est corpus meum, panem in corpus Christi transmutat. Hoc tam egregio argumento (nam incarnationem saluatoris nostri non in uerborum, sed sancti spiritus uirtute operatam esse, nos docet Euangeliū) ut respondeamus, non est necesse. Videamus tamen quād egregie scilicet se hic gerant papistæ. Alias etenim diuam uirginem tantis laudibus efferre conantur, ut illam Reginam cœli, portam paradisi, misericordiæ matrem, spem, aduocatam, alijsq; soli Deo proprijs titulis uocare non uereātur. Hoc uero loco tam de missæ illam conditionis faciunt, ut in hac ingrassatorum nebulonum colluie, quantumcunq; miserrimo sacrificulo infirmiorem reddant. An ne hic diuam uirginem maximè extollunt, dum illam, quantumlibet huius farinæ sacrilegum abiectione plusquam manifesta latet adhuc impietas. Emporium nempe Missarum toto ferè terrarum orbe frequentatur. Sed mirum est, has nundinas ab alijs omnibus adeò differre, ut quamvis in eiusmodi negotiationibus, siue commercijs habendis, dierum festorum uel loci aut temporis respectus haberi consuerit, in hac tamen missarum mercatura, quo dies aut locus sacer magis esse uidetur, eò etiā Missarū frequentior negotiatio existat. Interea uero annis aliquot elapsis, dum Sathanæ fascinatio omnes ferè mortales regeret, hanc Missæ mercaturam summo in precio exitisse, certum est: postea quan uero Euangilio renato, mercaturæ uilitas, ac mercatorum perfidia innotuit, res sanè maximo mer-

catorum dispendio eò deuenit, ut uiliori etiam pre-  
cio uenirent. Hac etenim tempestate, uel asse, aut e-  
tiam teruncio, prout inter mercatores conuenerit,  
comparari potest. Ex hac tam frequenti Missarum  
nundinatione, Romanenses, totaq; Antichristi sa-  
tellitum rasa colluuius, tantas sibi opes acquisiue-  
re, hæc enim abominationis purgatorijs (purgatorijs  
inquam, crumenarum) mater est. Verum si in ex-  
pliandis huius mercaturæ fallacijs, ac deceptioni-  
bus insistere uellem diutius, nullius unquam finis  
esset.

Vltimus inter alios hic abusus est, dum hæc exe-  
cratio homines, ne uerbum Dei audire possint, im-  
pedit. Quodquidem per experiëtiam probatu non  
erit difficile. Si quis igitur (ut fieri ratiō aſſolet)  
apud Papistas se predicationi uerbi Dei īgerat,  
eueniatq; ut in concionis media fortassis parte, do-  
minus Ioannes histrionicis habitibus ornatus, ex  
angulo proſiliens, Missæ tractandæ gratia in me-  
dium prorumpat: tum sanè, qui prius concioni au-  
res præbuerunt, illico concionatori terga uerten-  
tes, Missæ idolum adorare incipiunt. Luce etenim  
ipsa clarius est, homines hoc monstro inescatos,  
Missæ quam prædicatori uerbi Dei plus tribuere.  
Quod quidem ex diametro cum uerbo Dei pugna-  
re, uel inde manifestum est, quod Christum illos,  
qui uerbum Dei libenter audiant, ac illud custo- Luc.ii  
diant, beatos pronunciasse legamus. cuius qui-  
dem Apostolus Paulus testis est, dum Euangelium Rom.ii  
uirtutem Dei esse in salutem omni credenti aſſerit.

Interea

Interea tamen hæc abominatio hanc doctrinam salutis, ne percipiāt, homines impedit, sicq; suis sequacibus Paradisi portam uiāmq; lucis omnino p̄ocludit. Alias etiam, illasq; innumerās in hoc monstro impietates, per discursum animaduertere est: quæ omnia in unum hic congerere si quis p̄sumperit, infinitū se opus adgressum esse fateatur oportet. Hæc igitur, ut breuibus de horum Missæ scilicet, ac Missalis monstrorum Anatomia dicet rem, inter alia necessaria mihi uisa fuere, quæ quidem si diligentius ponderauerimus, quin Missæ in posturæ nobis honori futuræ sint, dubium non est: quo facto, Deo omnipotenti sacrificium laudis omni tempore offeremus, suaq; tandem Diuina protectione securi, ad sempiterna, nobisq; per Iesum Christum salvatorem nostrum ab origine mundi p̄parata gaudia perueniemus: cui quidem cum Deo patre & Spiritu sancto sit laus omnis & gloria in secula,  
Amen.

**F I N I S.**

THE HISTORY OF THE

CHURCH OF ENGLAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.


BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.


WITH A HISTORY OF THE CHURCH OF IRELAND.

BY JAMES GIBBON, D.D., F.R.S., F.R.A.S., &c., &c., &c.

## EPITAPHIVM MISSÆ.

Missa malum peius, quæ secula nulla tulerunt,  
Istud perpidium, dedecus, exilium,  
Fel, odium, sacrilegium, monstrum, scelus, ulcus,  
Prostibulum, virus, excidium, baratrum,  
Spectrum, flagitium, tormentum, nausea, labes,  
Quisquiliæ, tenebræ, carnificina, metus,  
Naufragium, latrocinium, uis, præda, tyrannis,  
Clades, pœna, dolor, mors, furor, horror, onus,  
Nequitia, insidiæ, impostura, infamia, terror,  
Colluuiæ, sanies, merda, cloaca, putor,  
Larua, supersticio, impietas, iniuria, nullo  
Missa nec inuiso nomine nota satis:  
Nec cruce, nec ferro, nec peste, nec igni, nec undis,  
Sed sola Christi uoce perempta iacet:  
Quæ uisa est orbis secum tractura ruimam,  
Si rueret, uelut fumus in anis abit.  
Nullus bonos, nullæ exequiæ, nullumq; sepulchrū,  
Nunc supereret illi nil, nisi nomen iners.  
Aurea iam redemit ueteris primordia mundi,  
Nam capite extincto, crimina cuncta iacent.  
Quisquis amas uerumq; Deum, ueramq; salutem,  
Viue, uale, ride, plaudetq; Missa fuit.





LECTORI S.

Dignus quidem erat libellus hic, si quisquam  
alius, amice lector, qui emendatè & elegan-  
ter excusus, in publicum prodiret: quippe qui pro-  
bè lectus, plurimum & superstitioni (qua magna  
adhuc Christiani orbis pars miserrimè laborat) e-  
uertendè, & ueritati rectius cognoscendæ condu-  
cere poterat. Verùm maledictus Sathan, ut totam  
MISSÆ (execrandæ filiæ sue) tragœdiam in hoc  
instituit, & gubernauit hactenus, quò Christi meri-  
tum prorsus in hominum pectoribus extingueret,  
ac mendaciorum tenebras pro ueritatis luce obtru-  
deret: ita iam quoque, dum hic ipse libellus excude-  
retur, rursum artes suas egregiè adhibuisse uidetur,  
dum tot cum mendis confpurcari (ut multis in locis  
non modò nullam sententiam, sed inuersam planè  
colligere liceat) curauit, quò eius lectionem uel  
prorsus è manibus piorum excuteret: uel mendarū  
tedio ita lecturos afficeret, ut ad finem usque lectio-  
nem deducere non nisi summa cū nausea possent.  
Idem uero etiam ante & quam ad typographum li-  
bellus preueniret, alia via aggressus, cum in lacu-  
nam alicubi projectum ita decurparat, ut non pau-  
cis solijs in itinere, antequam afferretur, ex coeno ac  
humore illo iam corruptis ac putridis, scripture e-  
tiam passim ita obliterateda fuerit, ita multis in locis

### Erratorum

lacerata omnia, ut non modò non legi rectè, sed ne  
aperiri quidem alicubi absq; detrimento, ac folia à  
se mutuò separari potuerint. Huic itaque Sathra-  
næ fraudulentiae occurrere studens, libellum iam  
typis absolutum denuò percurrere, atque errata,  
quamlibet multa, tamen ea (nam in nullo unquam  
libro, uel centuplo hoc quidem maiore, tot esse un-  
quam commissa puto) hic subnotare, quo cuius  
lectionem sibi emendare in promptu effet, operæ-  
precium duxi. Utq; maiore libelli huius uerè aurei  
fructu lectores, si qui uellent, potiri possent, que-  
cunque inter legendum præcipue memoratu digna  
